



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Lib. VII. De præsidio quod obtingit à Patrocinio Virginis, & Imitatione
Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

LIBER SEPTIMVS,

De Beatissimæ Virginis patrocinio, & imitatione Sanctorum.

Non possum quin eius, cuius amorem imis visceribus inditum, auxilium quouis tempore, quibuscumque in rebus semper expetitur esse oportet, Beatissimæ misericordiæ matris mentionem faciam. Est enim & perseverantiæ, & æternæ salutis præsidium certissimum, cum ab illa, & per illam bonum omne miseris mortalibus obueniat. Sed prolixioris id esset descriptionis, nec satis huic consentaneæ sunt in hoc argumento feliciter versati P. Platus, P. Costerus, P. Spinelli, ac propemodum adhuc prælo calens P. Ioannes Bourghesius de Patrocinio Dei paræ ad homines Societatis, præ quibus par est ut infantia mea conticescat. De eiusdem imitatione, aureus etiam exstat P. Ariæ tractatus. Hos si consules, nihil à me desiderabis.

Hærebo in Imitatione Sanctorum, quæ & iucunditatis & præsidij non parum ad omnem perfectionem & perseverantiam confert, dum & eorum notatio permouet, & apud Deum exoratio promouet. Non latius me efferam, sed quædam potiora sectabor.

CAPVT I.

De exemplis Sanctorum.

*l. de bono
pudic. n. 4.
Pacat.*

*Greg. l. 9.
Mor. c. 35.
vel 43.*

Plus proficitur cum in rem presentem venit, inquit D. Cyprianus, nec de virtute dubitatur, quando quod precipitur, exemplis etiam signatur: nec raro fit, ut exasperet homines imperata correctio, at blandissime iubetur exemplo. Ideoque bonus & misericors Deus electorum vitam prauitati nostræ contrariam, ad arguendos nos instruendosque multiplicat, ut qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil sibi mens nostra difficile estimet, quod perfectè peragi ab alijs videt. Ita sanè, si præterita retrò sæcula memoria repetere velimus, multas, eaque mirabiles animorum conuersiones, ex hoc emanasse fonte reperimus: atque ut ne totam Christianæ religionis amplitudinem, tum exemplis virtutum, tum

ada-

adamatae fortitudini Martyrum deberi dicam, ut innumeras Religiosorum ceteras omittam, quae se totae ad unius vestigia sectanda contulerunt: nonne clarissimum Ecclesiae lumen Augustinum, e fœdissima & impotentissima multorum annorum seruitute, in libertatem filiorum Dei, Sanctorum asseruit exemplum? Quid? Ignatio nostro, qui totidem propemodum annos, ambitiosa vanitati se mancipio dederat, quis aurem vellicauit, aperuit oculos, ad sanctiora excitauit, & ad perfectionem viam monstrauit, nisi lecta, notata, perpensa exempla Sanctorum? Post hos alium vllum commemorare piget: si enim tantos eò vsque promouere potuerunt, quidni in ceterorum omnium animis multò faciliora persuadere posse credantur?

Neque verò tarditatis & cunctationis aliquorum insulsam eam occasionem moror, qua hoc ipso se retardari ab insequendis ijs asserunt, quòd vident esse facta abs illis qui se vulgo secerentes, longè supra ceteros extulerunt: nam praeterquam quòd stultam & absurdam eam excusationem meritò nuncupat S. Chrysostomus, his praeterea ipsis verbis abundè confutat. Ille *De compun-
tione l. 1.* Paulus erat, ille Petrus erat, ille Ioannes erat, inquis, qualis ego non sum, ideoque quod potueri non possum. Quid est, ille Paulus erat, dic mihi: quid est, ille Petrus erat? Nonne eiusdem naturae erant cuius & nos? nonne eadem via ingressi sunt mundum, qua & nos? nonne eiusdem cibis utebantur, atque eundem respirabant aërem: nonne eiusdem vitae vsibus agebantur? nonne aliqui ipsorum etiam coniugia experti sunt, & liberos procreauerunt? Quidam verò ipsorum etiam opifices communium artium erant? Alij verò, & lapsus perpessi sunt peccatorum, atque in vltimum malorum barathrum deciderunt. Sed multum, inquis, gratia illi acceperunt à Domino. Si quidem mortuos suscitare iuberemur, aut oculos aperire caecorum, aut mandare leprosos, aut claudos erigere, aut demones effugare, aliasque his similes sanare aegritudines: si operationum virtus quaereretur, locum haberet ista responsio: si verò vita à nobis obseruantia conuersationisque requiritur, si obedientia perfectio; quid facit ad haec ista narratio? Et tu enim accepisti gratiam Dei. Ac mox, quibusdam interiectis: Sed quoniam non sola gratia Dei hoc agit: requiritur enim ut & nos, quod in proposito nostro, & viribus nostris est expleamus: idcirco, venit quidem ad vnumquemque gratia Dei, sed apud eos qui dignè explent ea quae mandata ipsis sunt, permanet: ab iis verò, qui minus dignè agunt, cito discedit. Rectas enim mentes diligit, & sine furo *Orat. quòd
nemo laed.
nisi à se.
Epist. 2.* proposito. Et tu quidem, si facias omnia quae in te sunt, sperare debes quae à Deo sunt: aderit namque & tibi, si tu ipse prius non defueris tibi. Nostrum tantum, inquit D. Cyprianus sitiat pectus & pateat: quantum fidei capacis afferimus, tantum gratia inundantis haurimus. Quam in rem aptè admodum, & ut solet excitatè *Serm. 17. de
diu.* D. Bernardus: Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed iustius forsàn ipsa sibi queratur gratia, deesse nonnullos. Omnipotens & bonus est Deus — qui magno eius amore, magna profertentibus, & in fide & spe gratia eius maiora suis viribus aggredientibus, & desiderium suggerit in id ipsum, & qui voluntatis gratiam *De solit.
vita.*

pra-

prærogavit, subrogabit etiam virtutem ad proventum. Cui cum fideliter fecerit homo quod potuerit, calumniante calumniatore, ipse misericorditer pauperi suo iudicium faciat, quia quod habuit hoc fecit.

Proem. in
reg. sus.

Sed hæc obiter dicta sint, ne quis animo contrahatur, & inde retardetur, unde incitari debuerat: sanctiùs & veriùs cogitant, qui se illis quorum beatitudinem æmulantur, vitæ quoque bonitate assimilés esse desiderant. Verissimè quippe Magnus ille Basilius, *Qua ratione*, inquit, qui Sanctis dispares fuerimus, vitæ beatitudinem, & æquale cum Sanctis, in caelesti republica ius municipium, & cum angelis inenarrabilem letitiam, ante Christi conspectum nobis pollicemur? Prosum amentium est, talia secum comminisci. *Quomodo enim vnà cum Iob potero ego collocari, qui ne vulgarem quidem afflictationem, vnquam cum gratulatione susceperim: Quomodo cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostes non adhibuerim? Quomodo cum Daniele, qui non per continentem abstinentiam, & precationem sedulam, Deum exquiserim? Quomodo denique cum singulis sanctis viris, qui illorum vestigia secutus non fuerim? Quis queso ludorum gymnicorum arbiter adeo nullo est iudicio, qui paribus censat oportere coronis dignari, & qui ex certamine victores euaserint, & qui nullum in certaminibus laborem suscipere voluerint? Quis exercitus ductor vnquam in æquam partem præde, cum victoribus vocauit eos, qui nusquam in prælio comparuerint? At enim bonus est Deus: at idem etiam est iustus. Porro iustitia proprium est, vt suum cuique pro merito reddatur: sicut scriptum est, Bonis benefac Domine, declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Ita quidem Sanctus ille, de Sanctis loquitur: quæ si quando attentius cogito, mei sanè me non parum, & piger, & pudet: itane verò de tua, Beate P. Ignati, in caelis in æternam societate adeunda, & gloriæ hereditate herciscunda cogitem? quin potius cum Publicano, cum filio Prodigio defixis humi oeuilis, tantæ excellentiæ aspectu me profitebor indignum, quid enim? quamcumque melioris vitæ tuæ partem introspezero, multa eam virtute coruscantem intueor, meam verò, desidis & ignauiâ torpentis, omni bono destitutam: quàm feruentes in te fuere vitæ melioris exortus! quàm constans, & nusquam remissus ad extremum vsque cursus! quàm acriter de superiore & licentiore vitæ pœnæ sumtæ! quàm omnis cuiuscumque rei, vel famæ vanæ amor medullitus è corde sublatus, totusque in Deum ardentissimè translatus! quantus deuotionis feruor, actionis circumspèctio, nusquam à Deo exerrans, & nihil non caritate complectens cogitatio! quot, bone Deus, & quanti labores exantlati! quàm indefessa diuini honoris promouendi cura! quanta in excelssimo animo humilitas, in prudentissimo viro simplicitas, in distractissimo præsentia animi, in iracundissimo mansuetudo, in morbis elanguido robur! quanta denique omnium corporis motuum, affectuum, cogitarum, sub vna moderatrice ratione, & quàm ordinata compositio!*

quan-

quantus, vt verbo dicam, quamque perfectus concentus & quasi quædam encyclopædia virtutum! Hæc si contemplatus fuero, oculisque ad me misellum conuersis, contraria omnia in me deprehendero, quid mihi nisi pudor, nisi lucus restat, & timor, ne diuersa sectantem, diuersa maneant loca, & æternæ participatione mercedis excludar, quicquidem virtutum nitore, minus comperiar exornatus. Sed tamen hic pudor, hic timor conatum acuat: nam & nobis magna vincendi necessitas incumbit, conantique quod in se pro virium suarum modulo est, numquam deest bonus Deus, qui omnibus bona & iusta volentibus, æternitatis suæ gloriam patere, pro summæ suæ largitatis immensitate decreuit.

Sed satis vniuersè de exemplo sit dictum: cuius duplex est vis, vna & potissima, & ad quam cetera referri debent, est imitatio: altera multiplici, vel cognitionis, vel solatij, vel vtilitatum aliarum capite continetur. De vtraque dicamus, sed de imitatione primùm.

CAPVT II.

Quid sit imitatio: eius origo, antiquitas, & necessitas.

Imitatio est, vnius, aut plurium actionum, ad alteram nobis propositam, quæ sita & de industria affectata conformatio: cuius clarissimum in pictoribus exemplum videmus; quorum ars tota, eiusque artis summa perfectio, in imitandis atque referendis rerum formis, figuris coloribusque consistit, & quo propius ad earum similitudinem accesserint, viuasque quodammodo aspirantes imagines expresserint, tantò absolutiora suæ artis opera edidisse censentur. Id ipsum tota humana vita sic vsurpat, vt latissimè per omnes eius partes imitatio peruagetur, iam que assiduitate nimia notari desierit: vnius enim nationis, & ciuitatis, quid est cur ijdem mores, vestitus idem, idem oris sonus, incessus, habitus, arma, studia, victus est, nisi quòd vicinia, frequentationem; frequentatio, amorem; amor, eius quod cernebatur & probabatur, imitationem peperit? inde hæc ipsa se frequenter disperit in familias; quando hæc, sui generis aliquem, vel auctorem, vel illustratorem admirata, ad idem, quod ipse tenuerat, vitæ institutum domestica incitatione rapiuntur. Non rarò etiam, sua singulis est imitatio propria, cum in sito quodam à natura impetu, laudabili quidem vt plurimum, sed & nonnumquam vitioso, certam in partem delati, id emulantur, & consequi contendunt, quod in aliis mirantur, & putant optimum. Cumque infinita quædam propensionum varietas in hominibus reperiatur, inde tot dissimilia existunt studia in di-

Nnn

uer.

uerissima tendentium, inde maximè in feligendis vitæ institutis tot variaz ferentia, dum singuli meliora quidem sectari & imitari volunt, at in eo quod sit melius constituendo discrepant. Arque vt ne longior sim,

Ex his conijcio imitationem duplici è fonte originem ducere. Primus est innatus omni homini boni appetitus, quo fit vt vnusquisque, siue in tota vitæ suæ genere, siue in quauis eius parte id sequatur quod putat optimum, gaudeatque, si quanto potest meliore, gratiore, decentiore modo aliquid peragat. Iam verò cum & supra hominem, & non satis vsquequaque tutum esse videatur, ita sibi fidere, vt suoapte Marte idem homo, & reperiat, & iudicet, & agat quod sit melius: nam & falli facile possumus, & vix est vt sibi quisquam auctor, inuentor, & eiusdem rei perfector existat: natura nostra maximè consentaneum, & ex rationis præscripto est, vt id bonum quod appetimus, & in nobis non est, foris quæramus, animaduersum diligamus, dilectum persequamur. Arque hinc aliter, vnde pleno alueo profluat, imitationis fons aperitur; quando scilicet mens nostra bonum, perfectum, decorum aliquod, quo se carere putet, & cuius amore teneatur, alicubi curiosius notans, illud suis actionibus exprimere, in se transferre, ad eius se formam normamque componere, eadem se pulcritudine insignire conatur. Et quoniam latissimam hominum societatem est diffusa, nihilque siue in moribus, siue in scientiis, siue in artibus, siue quouis in negotio videtur intentatum inelaboratumue superesse, idcirco, quamcumque in partem suam quiuis animum impulerit, vltro pronus occurrent in eodem genere plurimi, quos imitari, si non pigeat, non deceat: longè vt planior se nobis, quam primis illis & priscis, perfectionis tames aperiat.

Quamquam si primum omnino sæculum, & artium nascentium exordium excipias, numquam defuit, quem in quouis genere quisque sequeretur, non ita tamen, vel abundabat copia, vel perfectio consuminatioque eminebat. Ceterum iam olim scripsit D. Hieron. *Habet vnumquodque propositum. principes suos. Romanos duces, imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philosophi, proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëta, emulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici, Sallustium, Herodotum, Liuum. Oratores, Lyliam, Demosthenem, Tullium. Et vt ad nostra veniamus, Episcopi, & Presbyteri, habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem, habeamus propositi nostri principes, Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilariones, Macerios. Noster princeps Elias, noster Elifaus, nostri duces filij prophetarum, & qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluentem Iordanis. Ecce quomodo imitatione gloriatur, & ex ipsa lege veteri quod in noua imitetur accessit. Sed & hinc videas, non aliunde quam ab ipsa naturæ humanæ vi, habitum imitandi studium: vnde sanè vel parum homines, vel nimio errandi studio*

*Epist. 13. ad
Paulinum.*

dio rationem propemodum exuisse, hereticos eos dixeris, qui cum philosophorum, Lacedaemoniorum, Romanorum dicta, facta, plenis buccis conerepent, nos à Sanctorum gestis reuoluendis quasi vi & manu facta abducunt. Infamiant ipsi, vt lubet, nos ceptum pergitur, & in cumulum addimus, etiam gloriosius esse vulgò solere, aliorum sanctitate illustrium vestigijs, electione status peculiaris, insistere, eorumque exemplo nobilius aliquid audere, quam desidem, tritaque viuendi ratione contentum, vitam viuere, qualem ceteri hominum, nullo peculiaris instituti decore distinctam: sed habent nihilominus hi quoque, & quos imitentur, & quo se infimis eximant; at nunc id non agimus.

Ceterum ex his quae dicta sunt elucet, vnicuique qui sanctiorem Deoq; gratiorem vitam ducere decreuit, necessarium esse, vt sibi virum aliquem sancti- monia vitae praclarum, ob oculos ponat imitandum: quippe in hac inscientissima, & ad deteriora procliuiore natura, & facile specie boni ad vera mala abducimur, & aegre ad bonum contuendum oculos mentis aperimus, & denique cognitum, remissiùs, nisi aliunde incitemur, amplectimur, minimoque negotio ab omni nostra in virtutem contentione reuocamur: quibus incommodis omnibus, efficta in mente nostra sancti effigies, & adamata similitudo, ac praeteris susceptum idem vitae institutum, eorumdemque morum publica professio medetur. iam enim constat ea non mediocriter esse bona, quae tantopere in viro illo sancto comprobauit Deus, viuumque & nos de calis respectans perfectionis exemplar amulatione succendit, ac amica increpatione cessantes instimulat; neque patitur suscepta vitae ratio, vel ab eius imitatione aliquid discrepans, vel à moribus alienum, sed cogit quod profiteris, id explere.

CAPVT III.

Quis ad imitationem deligendus?

HAc de re optimè mihi scripisse visus est Cassianus l. 4. cap. 38. dum ait, *Considera te de paucis & electis effectum: & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigeras: sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi: & Pusillus grex cui complacuit Patri dare hereditatem. Et Diuus Hieron. Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur: atque vixnam hoc omnes essent, quod pauci sunt! Sed ad Cassianum redeamus, qui id ipsum altero post capite, longè optimè, & dilucidius asserit. *Exempla tibi sunt, inquit, imitationis, ac vite perfecta in congregatione commoranti, à paucis, imò ab vno, vel duobus, non à pluribus petenda. Nam praeter id, quod examinata vita atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc vtilitatis**

Nnn 2

acce-

accedit, quod ad perfectionem propositi huius, id est, carnobialis vite, diligentius quibus
viviis imbuatur ac formatur exemplo. Quibus verbis quamquam de alicuius qui in
viviis degat imitatione differatur, id ipsum tamen de ea quam sum descripturus
dici potest & debet.

Verum id fortè non immeritò nonnemi dubitationem moueat, præster-
ne, ex iis qui nobiscum vnà degunt, an ab iis qui iam in viviis esse desiere,
viviendi exempla desumere? nec desunt vtrique parti non leuia, quibus af-
firmetur, argumenta. Si enim virum aliquem bonum, quicum degas, imitan-
dum elegeris, id commodi consequeris, quod longè acrius instigant animos
ea quæ sui præsentia oculos feriunt, quàm quæ cogitata, sola vi mentis, vt præ-
sentia effinguntur: gestum etiam totum, habitumque, ac integram conforma-
tionem hominis contueris, quæ neque satis explicari verbis potest, & occul-
tam quamdam vim, multa silentio edocendi possidet: eiusdem quoque vivi,
est amor incitator, sanctior frequentatio, commemoratio dulcior, conuictus
carior, imitatio iucundior, & assequendi spes maior: in eius etiam si quando
congressum colloquiumque ventum fuerit, quantum addit incitationis vivi
ipsa vox, & adspirata sanctitatis verba, quàm gratum & ad plurima propè ne-
cessarium, suæ mentis sensa proponere, dubitationes, fluctuationes, alternan-
tes & varios animi motus illi viro committere, cuius responsis, non secus quàm
diuinis quibusdam oraculis, fidentiùs acquiescas?

Et ea quidem sic se habent, suntque animaduertenda singula, vt ex eorum
quibuscum viuimus, frequentatione & consortio, vtilitatem haurire possi-
mus. At nihilominùs, eorum qui iam in cælis morte triumphata regnant, ac
præ ceteris illius, qui ei quod tu sequeris vitæ instituto fuit auctor, imitatio-
nem præferendam puto: absentiaque incommodum, multis alijs commodis
abundè repensatur. Quamquam qui potest absens dici, cuius paterna semper
cura suorum singulis inuigilat, qui eos de cælis contuetur, à noxijs protegit, &
beneficijs longè plurimis afficit? De eiusmodi ergo patroni & exemplaris, vel
benevolentia, vel singulari sanctitate, vel eximia potestate, dubitare est nefas,
restat vt actiones, & res omnes eius, ad extremum vsque, & ad minutissima
quæque, exactissimè disquirentes, nihil inexploratum, & non vnde quaque
pertentatum prætermittamus: existimemus nihil abs eo, quamuis minutu-
lum, non summa ratione perfectum, quam vbique scrutantes, si res ab eo præ-
elare gestas cognouerimus, ne putemus nobis hîc esse sistendum, sed adhuc
subtiliter est indaganda factorum causa, ratio, origo, modus, destinatio seu fir-
nis, harmonia seu congruentia cum ceteris, conuenientia cum instituto vitæ: &
eiusmodi complura, quæ ipsa rerum gestarum natura nos docebit.

Sed hæc à me Religiosis dicuntur, quos ego cuiuscumque sint Ordinis, eos
exiltimo sui instituti auctores & fundatores esse nactos, qui ceteros eiusdem
fami-

familiae cum sanctitate vitae, tum excellentia gloriae antecurrant. Nec enim ut in humanis inuentis, sic in institutis diuinis agitur: illorum auctores, laborando, nitendo, expoliendo, paulatimque corrigendo, & experiendo proficiunt; at verò Spiritus Dei sanctus, cuius opera perfecta sunt, qui scientiae atque perfectionis, ubi voluerit, copiosus est donator, quem ad aliquod vitae genus instituendum seligit, ita gratia, & scientia ad id conueniente, imò exuberante (nec enim auaře, vel ad necessitatis limites angustatur) amplificè exornat, ut quicumque moribus & virtutibus eum propius expresserit, is in eius vitae professione perfectior; qui verò longius ab eo recesserit, is imperfectior, & in eo vitae genere minùs probatus habeatur. Cùm enim Religiosae omnes familiae, quaedam sint vitae instituta, quae non humana ratione, vel ingenij subtilitate, aut naturae propensione consentent, sed potiùs plurima illi aduersantia contineant, primaque sui origine ad sancti Spiritus benignam sapientiam, viro alicui sancto non obscure demonstratam, referenda sint: consentaneum, imò necessarium fuit, ut tota eiusmodi instituti perfectio, in vno isto capite reperiretur, ne si quid eorum, quae potissima sunt, mancum foret, esset id aliunde minùs tutò petendum, & peregrino aliquo spiritu genuinus laederetur. Plus etiam dicam, quamquam nemini, ut id credat, vel impertinaciùs obtrudere. Tanti existimo eos esse faciendos, ut putem, quando per eos Deus, omnes istius instituti ceteros ad se vocauit, totam etiam istius Ordinis gratiam, ita excellenter auctori esse collatam, ut illa distribuatur quidem in posteros, at longè inferiori gradu & copia; mihi que persuadeo vnum illum, exempli gratia D. Benedictum, Franciscum, Dominicum, Ignatium, sanctitate, & gloria caelesti, non tantùm eiusdem Ordinis singulis, sed vniuersis etiam simul sumtis eminere: & quamuis Xauerios, Laynios, Fabros, Borgias, Gonzagas, Barzaeos, aliosque quàm plurimos habeamus, quantos, bone Deus, qualesque viros! in vno tamen Ignatio, plus quàm in vniuersa omnium eorum collectione, qui de Societate, vel fuerunt vel erunt, plus inquam donorum diuinorum abundare credo. Quae opinatio, et si nonnullis noua fortè sit futura, nihil tamen aduersum Ecclesiasticae doctrinae continet, nihil Sanctorum reliquis, qui institutoris sui gloriae fauent vnice, propterea detrahit: quin etiam, quanta verè de B. Virginis gloria dicantur cogitanti, cuius tamen in vulgus paucae admodum celebrantur actiones, non erit difficile coniectura consequi, quomodo diuinæ gratiae copiosioris & praecellentioris affluentia, possit vir vnus, ad eò multorum, vel aequare, vel superare beatitatem. Interim, qui hoc in animum inducit suum, amorem, reuerentiam, spem, fiduciamque, non mediocriter in illum augeat necesse est, quem tanta gloriae quasi infinitate coruscantem, tanta Dei vicinia, bonitatis & potestatis diuinæ copiosè participem, suis omnibus, ut benignissimum parentem

rentem praesidere, providere, deque caelis placidissime contueri crediderit. Sed & hinc probatum certumque relinquemus, eius omnino viri imitationem, quorumvis aliorum imitationi praefendam. Singulare planè, & quod nonnulli in paucos eat privilegium: rari enim sunt vera Religionum capita, & primigenij fontes, plures sunt reparatores, & primi decoris restitutores, de quibus ut perinde sentiamus nulla nos ratio cogit, cum quidquid eximij operis egerint, è primi tamen institutoris radice & spiritu pullulet, ipsaque sic reparata familia, à primo semper Patre vegetetur: nec verò novum est ut ramus tenerior, grandiore se fructum, at non nisi succo à radice hausto proferat, quoque tenuiore latior lacus prodeat, perpetuo tamen fonte novius iugiter aquis perennante.

At tamen id nolim sic accipi, quasi non foret aliorum imitatio probanda: reperiuntur enim in eodem vitae instituto, aliqui adeò praevulgo eximij, & multifaria perfectione instructi, quales S. Maurus, Antonius de Padua, Vincentius, Xaverius, & alij plurimi existere, quos aemulari interdum decet: ac nonnumquam, vel persimili naturae instinctu, vel diuiniore ad id agente impulsu, totum ad aliquem certum referendum ardent nonnulli; quia cum aliquam quasi pulcherrimam honesti formam animo hauserint, eamque ex alicuius praeclearè factis sibi expresserint, eò vires omnes & corporis & animi conferunt, ut quoquo modo in eam se transformare, eoque valeant se quam simillimos reddere. ita in profanis Themistoclem Miltiadis, Iulium Caesarem Alexandri gloria excitavit: nec est cur in vitae sanctioris proposito, non possimus iisdem quoque motibus concitari, & iisdem, si occurrerint, propensionibus pie obsequi, & re ipsa B. Xaverium Gaspar Barzaeus, Beatum Gonzagam Ioannes Berman, videntur expressisse.

Atque haec ferme de ijs qui ad beatiorè vitam ex hac misera euolarunt. At neque imitatione indigni censendi sunt, qui nobiscum etiamnum in terris degunt, si modò illustriore virtute decorantur: nam & ipsi illi, qui in caelis regnant Sancti, fuerè in viuis aliquando numerati, at quàm rarum est, ut eiusmodi, vel reperiantur aliqui, vel agnoscantur. In ijs igitur quos passim viros bonos agnoscimus, & quibus conuiuiamus, existimo moderatione utendum, quam mox addo, sed proximo capite, quoniam breuiiores & frequentiores distinctiones multis placere video: nec possum tamen fugere quin in eo quod iam dicendum est diutius inhaeream.

CAPVT IV.

*An in iis quos ad sanctitatem imitamur, imitanda sint omnia.**§. 1. A pluribus variam utilitatem esse capiendam.*

VT id quod proximè attigimus primum resumam, commendatissimū proficere cupienti esse debet, vt ex omnium quorumcumque hominum conuersatione utilitatem capiat: quanto ergo magis, quod nunc agimus, ex conuictu, familiaritate, aut saltem contuitu Sanctorum? Sanctos nunc eos intelligo, quos vitam probam, & virtutibus bellè instructam, viuere videmus, ideoque nos alliciunt, vt benè agendo mores eisdem referre possimus: quorum in Religiosis beneque constitutis familijs, magna est copia, cum nemo in illis viuat, qui ad absolutam consummatamque virtutem, pro virium suarum modulo non contendat.

In hac optimorum virorum multitudine viuenti, nemo contemnendus, notanda bona singulorum, & in nos deriuanda quæ fuerint optima: quam in rem S. Antonij nobis refert præclarissimam doctrinam Callianus. *Vetus est, inquit, Lib. 5. c. 4. B. Antonij admirabilisq; sententia; — monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere vnamquamque virtutem, ab his qui eam familiaritè possident, deslorare, & in sui pectoris vase recondere, nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat contemplari, studiosèq; decerpere.* Docuerat paulò antè, ab vno discretionis, ab alio patientiæ, humilitatis ab alio, ab alio continentiæ, aut simplicitatis, aut alterius virtutis exempla sumenda: vix autem, aut numquam, in vno & eodem omnia pariter posse reperiri. Quæ nequaquam diuersa sunt ab eo quod diximus, vnicum imitationi nostræ propositum esse debere: nam & S. Antonius de illo loquitur, qui discretionem abundans, quid sibi ad imitandum sumendum sit, quid omittendum intelligat, aliudq; est flosculos virtutum varios, & ex pluribus minutula multa decerpere, quod vile factu esse nemo negat: aliud totius vitæ, ritè & ex perfectione traducenda, sibi exemplar effingere, quod non minus vnum, quàm vnam in corpore animam esse debere affirmamus.

§. 2. Quenam in imitatione sint cauenda.

At in hac imitatione plurium cauenda sunt nonnulla, atque illud in primis, vt ne crediderimus, perfectum esse id omne, quod à viro perfecto proficisci videmus: nemo enim in hac vita numeris omnibus ita existit absolutus, quin alicuè de in nonnullū defectum impingat: solus fuit D. N. Iesus Christus, & Beatissima

cuius

eius mater Maria, quorum in actionibus nullus unquam naevus, deficiens, aut exuberans nihil sit repertum: quare, licet omnia in meliorem partem, quantum licuerit, interpretari deceat, non sic tamen in cuiusquam vel facta, vel verba iurandum est, ut planè nusquam ab eo tibi recedendum obstinatè putes: est enim rectæ rationi omnino repugnans, si quem propter egregiè & benè facta miraris, eundem pariter, in iis quæ minùs ex ratione fuerint, & suspicias, & imiteris. Atque hæc etiam me consideratio permouit, ut potius à beatis, quàm à viuis assererem viuendi exempla sumenda: viuorum enim, & bona sunt nobis, & mala ob oculos posita, at eorum qui iam decessere, & quorum res gestæ sunt memoriæ proditæ, ea sola sunt posteritati commendata, quæ præstantiora videbantur, eaque purè, & ab imperfectionibus segregatè descripta sunt.

Est etiam, minutulum quid & affectatum, in imitatione fugiendum, quod mimicum est, iuuenile, & fermè in risum abit: in quod ne incidamus, magna decori ratio est habenda, iuuenem quippe senilis lenitudinis in incessu, in verbis, in ceteris æmulum esse dedecet; sonum vocis, nutum oculorum, situm capitis, manuum gestus, corporis flexum, & eiusmodi plura, est ubi in illa moderatione obseruare & imitari conueniat, est etiam ubi si decorum & modum excesseris, nemo sensatior extiterit, qui non te morionem agere, nec aliud quàm ridicula putet affectare: quare non sibi soli hac in re credendum, sed aliorum quoque consulendum est iudicium, ut ea non affectemur, quæ vulgò, & meritò, minùs probari viderentur. Nec verò etiam omnia quæ non dedecrent, sunt nobis operosè sumenda: minuta enim quædam, inutilia, & exigua admodum momenti, satius fuerit præterire, quàm animi industriaque laudem, à melioribus abstractam, tot minimis rebus exhaurire. Breuis vita, cito præteruolat; nec ingenij nostri mediocritas, omnia amplecti potest; & non paruum iacturam facit, qui vel tempus vel industriam, in res parum utiles collocat.

Illa igitur primò omnium, maiore quæ quàm possumus, conatu seligamus, quæ suo genere sint optima, & quàm latissimè pateant, ut neque bonitate decipi, nec angustia fructus operam lulisse possimus: neque verò, per mediocri quadam virtutis assimilatione delinuti, prius conquiescamus, quàm perfectissimè, id quod absolutissimum in alio miramur, ad nostrum animum imitando traduxerimus.

Sed quæ hactenus diximus, magis ad eos qui nobiscum degunt; quæ dicentibus, ad eos qui in celis, potissimè spectabunt: de quibus nec iniucundè & fructuosè queri potest, num eos in omnibus tutò, & ratione possimus imitari: Quæ in quaestione necessariò nobis imitatorum seponendi sunt errores, qui ex neglecto modo & circumstantijs existunt: vix enim ita bonum aliquid est, ut non possit, non obseruato vel modo vel tempore vitari: quorum tamen vitiorum tractatio nostra non est.

§. 3. *Sitne exemplum aliquod Sanctorum admirandum, & non imitandum: & quotuplex sit.*

Eorum igitur (vt verbo dicam quod sentio) qui verè sancti fuere, nullum existimo ex virtute factum posse profert, quod ita sit admirandum, vt non etiam, si non se toto, at potissima sui parte, sit imitandum. Neque verò vulgatam probatamque passim exemplorum in admiranda, & imitanda distinctionem propterea conuello: est ea aliquando necessaria, cum scilicet id factum legeris, quod se toto admirationem ita concitet, vt tamen prima fronte in imitationem vix cadat: at Deo dante docebimus, id esse rarissimum, & in vno fermè genere, in quo ipso tamen seligenda tibi sint, quæ imitari conueniat; & comprimenda est in dijudicandis Sanctorum factis, seu leuitas, seu temeritas quorundam, qui ad cuiusuis, quam minùs capiant, rei auditum protinus exclamant, Admirandum! cum tamen deceret penitiùs omnia rimari, & benè perpensis singulis, tum demùm iudicare; ne pulcherrimorum exemplorum vtilitate, nostrâ nos inconsiderantiâ priuemus.

Admirandorum igitur tria sunt genera: vnum eorum, quæ propterea miramur, quòd fiant potestate quadam quæ humanam omnem & naturalem excedat, cuiusmodi solent ea esse quæ miracula vocamus, vt ægrotum sanatio subitanea & repentina, exsuscitatio mortuorum: quæque sunt eiusmodi. Alia, potestate quidem humana fiunt, sed eo animi robore, constantia, perseuerantia, duritiæque infracta, vt tanta illa, tamque sibi constans in arduis rebus æqualitas, tantus rerum earum quas ceteri mirantur, tamque perpetuus despectus, tanta tamque alacris, & numquam interrupta ad superna contentio, non nisi à firmitate & excellitate quadam, quæ supra hominem sit, proficisci posse videatur: elucetque hoc genus in ijs, qui singulari rerum humanarum despicientia, vel intaminata ad extremum vsque conscientia puritate, vel calumniarum & iniuriarum, aut etiam dolorum grauium seu ab hominibus, seu à morbis illarum perpeffione, vel denique in ijs qui vltro suscepta duriore quadam austeritate vitæ claruere. Tertium genus admirandorum ea facta complectetur, quæ propterea miramur, quòd rationi minùs consentire videantur: siue ridicula & sine ratione fieri putentur, vt nonnulla Prophetarum catenas collo circumdantium, dies & noctes plures in vnum latum dormientium; siue etiam rationi repugnare credantur, vt virginum earum quæ sibi nasum amputauere, quæque in fluium se præcipitauere, & eius quæ se gladio transfodit; siue denique paradoxa quædam, & à communi sensu remota contineant, qualia refert Climacus eorum qui superato in cogitatione sua primo gulæ impetu, vorantium instar iruebant in cibum, ne scilicet dæmoni

viderentur ciborum abstinentes. Et hoc modo tertium hoc genus, tria diuētia complectitur.

Iam verò cum de imitando facto agitur, nolim hoc à persona, tempore, causis, circumstantijs, separatim auocari: non magis quàm pictori exemplar propositum exprimere cupienti, sint exemplaris lineamenta, color, effigies, coniectus oculorum negligendi: vt enim primum illud quod imitatis exemplum, non fuit eiusmodi, neceam meritum est laudem, nisi quòd ab eiusmodi viro, eo animo, eaque ratione perfectum est; ita fieri nequit, vt ad eandem factum tuum pertingat honestatem, nisi à consimili circumspectione dimanet. Quare, vt ne à pictore discedamus, curandum nobis est, vt clara luce videamus, bellè nobis expositum exemplar, nullaque, quantum fieri poterit, pars eius nos lateat, & illud in omnem partem toties cogitatione versemus, donec eius effigie perfectissimè menti commendata, & quasi expicta, non aliud supersit, quàm vt eandem etiam opere repræsentemus.

Imitabimur autem, vel totum illud factum, vel partem eius. Totum intelligo, cum nihil in eo est quod non sit imitatione dignissimum: qualis fuit B.P. Ignatij Rhotomagum ad pecuniæ depeculatore[m] profectio, egregijs sanè virtutum exemplis admodum instructa, & quamuis ibi asseratur, totum id quantum fuit itineris à ieiuno confectum, quod aggredi non est cuiusuis, non tamen propterea istud in admirandis censebitur: quia tota ipsa res, eiusque destinatio, & finis est spectanda, totoque ex illo quasi corpore dijudicanda, nec propter aliquam, quæ facto illi minùs erat necessaria, adiunctam magis arduam circumstantiam, inter admiranda reponetur: quod hoc exemplo aptissimè docemur, cuius cum sit vis permagna ad hominum animos in caritatem inimicorum permouendos, in eumque finem memoriæ commendetur, ex hoc fine, & potissimarum circumstantiarum aceruatione, planè constat, illud esse inter imitanda collocandum.

At hinc prudenter commonefit animus, vt in eis quæ narrantur, aduertat, sitne aliquid vnum quod interponitur, illi personæ singulare, solemne, & per frequens, ac quasi perpetuum; an verò rarum & infrequens, & an huius, quasi potioris & maioris momenti causa, cetera narrentur: tum enim, si hoc ipsum admirandum fuerit, facilè tota ipsa narratio erit admiranda: at si quasi obiter, & ex occasione vel ad exaggerationem, & pleniorē narrationem ceterorum, inseratur, est planè id in ea virtutis imitatione numerandum, ad quam totius narrationis quasi corpus spectat.

Similiter meritò dicturus mihi videor, quòd cum, in legendis vel reuoluendis Sanctorum factis, eò potissimum animum debeamus intendere, vt eorum ad nos vitam & egregiè facta traducamus, propriumque sit exempli, vt ad imitandum vel euitandum sit expositum, lucemque rebus agendis & to-
ti

ei vitæ nostræ aspergat; si quid fuerit quod ex imitandis & admirandis permistum sit, his ommissis debemus nos ad illa conuertere, & quemadmodum id corpus diceremus lucidum, quod licet aliqua sui parte non luceat, altera tamen fulgidos lucis radios euibrat, ita illud factum imitandis accensendum est, quod licet admiranda, minusque sectanda contineat, adiuncta tamen plurâ, imitatione digna complectitur. vt quando lego, fuisse qui suas pauperi vestes, ad nuditatem vsque tradiderit: potius imitandis quàm admirandis id factum adnumero, non quòd velim ad ipsam vsque nuditatem imitando deueniri, sed quòd si in nobis illa, quæ esse deberet, in Sanctos viget pieras, protinus cogitatio nostra in id quod melius & illustrius est, obscurioribus omissis feretur, & in hac ipsa, de qua egimus, nuditate nihil indecorum, sed miram quamdam, à qua profecta est, misericordiam sui oblitam, alieni memorem contemplantur.

Neque verò ad tenuitatis, vel imbecillitatis nostræ quasi calculos, sunt nobis augustissima sanctorum virorum facta reuocanda, & easola in imitandorum classe statuenda, quæ virium nostrarum, vel potius animi nostri, exiguitati quadrare videamus. quod enim in corporibus videmus, vt ad aliquorum hominum, vel proceritatem, vel robur, aliorum paruitas & debilitas frustra nitatur assurgere, id ipsum, & maximè, cernitur in animorum, atque ad eò vitæ bonæ, varietate permira: sunt, quibus & animus, & vires corporis, ad plurima, & maximè ardua, indefessæ sufficiunt, quorum è numero Beatum possumus proferre Xauerium; cui vix toto decennio, peragrata quàm vastæ fuerunt Indiæ, indagati Iapones; priuata, publica, domestica pariter & externa, summa animi quiete, difficultatibus pænè inextricabilibus obiectis, tanta fide, tantaque sunt accuratione ordinata, vt in vnâ laborum eius partem si respicias, cetera nulla amplecti potuisse; vniuersos autem labores si commemoras, tantam singulorum curam ab homine vno suscipi potuisse neges. At heroës eiusmodi, sunt oppidò pauci; maior est multitudo nostri similibus, qui vulgari mediocritate contenti, humi reptantes ad excelsiora non aspiramus, & tarditati cursus, aut potius testudinei gradus semel cæpti, insenescimus, & ad quoduis alicuius Sancti præclarius factum cohorrescimus, animo contrahimur, nobisque falsa persuasione blandientes, & quasi veriti, ne crebro conscientia nostræ ad imitationem pellicientis conuitio impulsus, perfectiora sectemur, confestim id omne in admiranda reiicimus: quanto melius fuerat saltem inde pudoris & humilitatis, veræque, quasi plurima nobis desint, quæ tamen adesse possent, confessionis fructum capere! Quamquam, neque affirmare velim, imparium virium conatus pares esse, & inæqualibus vas æqualiter multa infundi debere. at ne ipsi nobis imponamus: multa & perquam multa, à quibus quàm longissimè absumus, præstare possemus, si

nostra nos non retardaret ignavia. Ne igitur cessemus, æternoque & immenso præmio inuirante, nullius laboris aut virtutis aggressionem formidemus: non est immensa gloriæ comparandum, quod intra modum continetur; nec potest æternitati coæquari, quod angusto temporis sine concluditur.

Est tamen, fateor, ubi discretio, omnium virtutum sapientissima moderatrix, refugiendum alicui suadeat, quod alteri suasit amplectendum: siue virium corporis, siue varietatis temporum, siue statuum, siue hominum, siue ratio alterius alicuius habeatur. Tum verò iudicium nostrum hoc limite circumscribendum est, ut exemplum istud, generatim quidem, imitationi iure meritißimo expositum credamus; at vel hoc tempore, vel omnino nobis ex aliqua certa ratione minùs conuenire ut aliquid simile præstemus, posse tamen ex eo alios à nobis capi fructus. Hinc ergo agnoscimus, non illico cuius, aut semper imitandum esse, id quidquid imitatu dignum est: nec etiam id omne quod aliquando, aut alicui minùs imitandum est, ab hominum imitatione in vniuersum debere remoueri.

Accidere etiam nonnumquam potest, ut factum, vel res ipsa, non sit imitanda, nec ut imitationi apta proponatur, ut sunt quædam Prophetarum, & parabolica Sanctorum, velut eius qui melitone (ut vocabant) inuerso ad ecclesiam venit; & nihilominus causa quædam, cur facta sint, & ratio imitatione dignissima eluceat: ut in Prophetis eminet obedientia, in alio isto solertia occasionis ad molliendam reprehensionem opportunè captandæ: hoc enim volebat, ut, postquam certatim plures eum de inuersa veste monuissent, vicissim ipse, quod & falsè dixit, regerere posset, Vestem meam semel inuersam ferre non potestis, & reclamatis, cum ecce iam tot annos tacitus, bonarum monasterij consuetudinum vos eueriores, patiens feram. Eiusmodi facta cum contingunt, facile quiuis agnoscit, rem ipsam imitatione non exprimendam, at personæ, & agentis hominis, aut virtutem, aut sollertiam, æmulatione dignam esse.

Alia sunt, eaque non pauca, quæ nihil admodum notatione dignum continent, & nonnullis tamen ad exprimendæ vel acuendæ virtutis formam aptissime deferuiunt: quod illi accidit qui sordes, quas videbat, aliorum, neglectum sui interpretabatur; munditiem verò, & cultum corporis, puritati & perfectioni animi deputabat, & sic vndique se ad meliora incitabat. Quo animo, ex omnibus vtilitatem capiente, præditum esse, laudabiliusne sit an conducibilius nescio. Verùm ex hac sic intuentis laude, nec propterea fiunt ipsa laudabiliora, nec imitationi aptiora censenda sunt: aliena ex industria ut id omne dependet, sic est inter aliena reputandum.

§. 4. *Quibus modis fiant admiranda. deque primo modo qui est, instinctu Dei.*

Sed propius ad admiranda veniamus: & quemadmodum varia eorum genera, ita etiam causas varias distinguamus. Et quidem si proprie de causa loquimur, quæ vi ad efficiendum prædita est, non alia esse potest quam naturalis, aut quæ naturam excedat, vt in ijs, quæ supra naturam sunt, portentis: parumque ad rem nostram facit hæc distinctio, cum enim eiusmodi facultate præditum esse, vel non esse, non sit electionis, aut potestatis nostræ, nihil hoc ad imitationem, quæ vniuersa in actione posita est, conferre potest. At non parum confert obseruare, quis fuerit animi impetus, quisque Sanctorum motus, quo concitati, ad eiusmodi se facinus patrandum impulerunt.

Et quidem vt ne singulares, qui tot esse, quot actiones, possunt, ad agendum impetus conserter, potuerunt viri illi ad sic agendum permoueri, tribus potissimè modis: primò, peculiari & proprio instinctu Dei: secundò, sua quadam, seu virtute, seu ratione, ipsis benè cognita & perspecta, ceteris tamen ignota: tertio, vi & impetu naturæ arduitate rerum concitata, non tamen naturæ solius, (hoc enim Sanctorum non esset,) sed naturæ virtute instructæ, eiusque zelo inardescens. Quæ singula paulò magis enucleanda sunt.

Et quidem cum se nobis offert actio aliqua viri sancti, quæ longius à communi ratione, vel lege recedere videtur, tritissima, & cuius obuia, illa solet excusatio afferri, vt ex peculiari sancti Spiritus instinctu profecta dicatur, estque vel honesta ignorantia fatendæ declinatio, vel, ne Sanctos diiudicemus, modesta deuitatio: etenim vt hoc aliquando verum sit, at non ita passim, cum rarissimè à communi lege recedat Deus, qui omnia suauiter, summaque ratione moderatur. Peculiaris tamen ille instinctus vbi fuerit, ipse se prodit, nec difficile notatur: putemque bifariam eum dispertiendum: in eum scilicet qui ad illa agenda impellit, quæ planè naturæ vim superant, Deumque auctorem exigunt, & fiduciam in eum singularem, ad vnum aliquid vi quadam naturam excedente peragendum: vt in illuminatione cæcorum, excitatione mortuorum, vbi animus, fide & spe supra vulgarem, diuino impulsu instigatur. atque nulla est de hoc instinctuam genere controuersia.

In ijs autem quæ longa variorum euentuum serie ita fiunt, vt nulla quidem singularis actio naturæ limites exeat, at totus ipse ordo, & quasi catenata omnium consecutio, altiore quadam & diuiniore ratione, totam eam connexionem firmari, & quasi compaginari probet; in his, inquam, est etiam diuinus nobis & peculiaris instinctus agnoscendus, dum tamen id omne ius-

stum, sanctum, & Deo dignum appareat. huic rerum generi, nobis illud Iudith factum, & à femina casum Holofernem annumerabimus: nec enim tantarum rerum tam mirabilem conuersionem à femina nisi diuiniore afflata spiritu excogitari, nedum confici, potuisse credendum est. In hunc etiam ordinem aucta illa & consilia asserendum est esse redigenda, quibus mundo spreto, viri sanctimonie singularis, noua quaedam Religioe vitæ genera moliti sunt, vt olim Diuus Basilus, Benedictus, Franciscus, Dominicus, & recentiore memoria B. Ignatius: qui sacre militie noui duces, selectorum, & à vanitate vitæ, contra vanitatem euocatorum militum, nouos habuere delectus, eosque sibi posteros emergere cupiuerunt, qui seruet cœptis insistendo, ea perpetuare perenniter, & maioribus incrementis, longè lateque propagare conarentur: ea autem non perinde vt Solonis aut Lycurgi instituta, humanæ mentis industria, vel excogitari, vel excogitata conseruari & amplificari possunt; nam & voluptario deliciatioque quo maximè ducimur sensui nostro acerrimè pugnant, & mirabilem quandam plurimarum exercitationum seriem continent, vnum in æternæ gloriæ finem ita spectantem, vt vix ad eam cogitatione assequendam, multoque minus factis exequendam, pertingere, nisi diuinæ gratiæ fauore possimus quare si, quod in confesso est, ad eam profitendam, diuina in singulis vocatio exigitur, quanto grandius & illustrius lumen, in auctoris & primi institutoris animo, fuit opus?

Sed antequam pergo ad cetera, quomodo sit his vtendum dicam; Et quidem cum ea miranda perpetrata legimus quæ supra naturam sunt, non est eiusdem mirabilitatis imitatio nobis experenda: solent tamen multa comitari, ex quibus plurimam possimus vtilitatem capere, ad fidem, spem, caritatem, variarumque virtutum amorem, humilitatem maiorem, & vitiorum odium concitandum.

In his verò, quæ proximè diximus tota sua serie & continuatione esse miranda, vix est vnum aliquid, quod non meritò & diligentissimè sit imitationi nostræ proponendum: quamquam enim illud ipsum audere (si maximè personæ minùs conuenire, vel occasione peccati expositum esse iudicetur) nemo debeat, qui non eosdem sibi motus à Deo suggeri senserit, vt nos quamuis deceat feminam, obsessæ suæ patriæ sic subuenire; at virtutes quæ in eiusmodi facinore peragendo eluxerunt, obseruare consulumus est, vt castitatem, magnanimitatem, legis diuinæ obseruationem, orationis ac curationem in Iuditha: sin autem, in eiusmodi vitæ cursu, nihil inde cens reperitur, aut absurdum, aut minùs rationi consentaneum, qualis est permitta illa qua suum excitauit Ignatius institutum, prudentia, constantia, & viri sancti plurima perfectio; latissimum in eis & securissimum, quo no-

ster conatus ad imitandam virtutem excurrat, campum apertum esse credamus, & in eo acriter diligenterque sudemus: reperiemus enim ad eò multis, tamque confertis, ad res optimè gerendas, exemplis actiones eiusmodi scate-re, vt ex illis tanto plura docendi sumus, quo sapius & acrius mentem in eorum pulcritudinem intenderimus.

Sed qui alicuius viri vitæ institutum sumere profitendum, vniuersa eius acta non prætereant: quin in ea exactissime inquirant, sibi que persuadeant inde elucere eum ipsum qui tali vitæ instituto apprimè conueniat spiritum, de cuius conditione & natura, etiam ex iis quæ magis peregrina videbuntur, coniecturam capiant. sic ex lectione rerum à B. Francisco gestarum, eo que ipso quòd quemdam è suis propè seminudum suggestum conscendere, & ad populum de diuinis rebus verba facere iusserit; quem tamen ipse mox, in iussio-nem suam animaduertens, eodem in habitu secutus est, palamque se damna-uit imprudentiæ; video mihi in viro sanctissimo animaduertere simplicitatis candorem permirum, deuotionis & contemplationis curam maximam, & præ ceteris humilitatis, contemptus mundi, paupertatisque amorem inexsatura-bilem, quem ipsum non interna voluntate definirer, sed palam profitendo & vbicumque posset exercendo, & multa patiendo, nimiam quamdam contu-meliarum & egestatis quasi famem quadantenus expleret: quæ certè si quis-quam eiusdem disciplinæ assecla, perfectè intuitus expresserit, nequaquam à proposito vitæ aberrasse iudicabitur. Sin autem in Ignatium pariter curio-sius intueri velit quisquam, is in eo absolutam, opinione mea, virtutum per-fectiorem consummationemque deprehendet, his maximè stabilitam; ora-tione, ratione, consideratione plurima, rerum omnium despicientia maxima, amore in Deum sincerissimo & flagrantissimo, iudicij & voluntatis abnega-tione summa, paupertatis, incommodorum, crucis & dehonestamentorum ardore maximo, infracto prudentis animi robore nullis vniquam vel terricula-mentis vel difficultatibus cedente, Deum semper præ oculis habente, & præ omnibus virtutum solidarum cimelia commendante, sic tamen vt nihil propè alienis datum veller oculis, fugeret quidquid in speciem sanctum, horridum, rarum, fastosum, & opinioni concitandæ opportunum videretur. Eius verò ad perfectiora progressio, perpetua & nunquam fuit interrupta; sic tamen vt sem-per feruorem discretio, zelum moderaretur ratio, cuius lumine quasi certissi-ma bolide, omnis nauigationis cursus prætentatus, securior esset & rector. Harum autem & similium virtutum complexu atque consecutione, exister vis illa perfectioque mentis, quam in Religioso homine Spiritum vocationis nuncupamus.

§. 5. De secundo admirandorum modo.

Sed ad secundum, quo efficiuntur admiranda, modum transeamus quem esse diximus, quando fiunt à Sanctis virtute seu ratione ipsis bene cognita, & propria, ceteris autem ignota, & eos longè superante. Quod sic intelligendum est, viros esse quosdam ea virtutis excellentia præditos, tantaque vel perspicacitate vel maiestate mentis, ut & altioribus quibusdam, quam vulgus proborum hominum nitantur principiis, & eorum actiones occultiore quadam & innata vi, extra omnem diiudicationis aleam secernantur, nemini quæ quantumvis curiosius in eas intuenti suspectio, omnibus admiratione oratur: longeque facilius est, quòd ita se res habeat probare, quam cur, & quomodo id fiat edicere. Multa sunt eiusmodi Sanctorum gesta, quæ præter rationem, & indecora videantur, quæ tamen, neque in illis probrosa, & cetera nequaquam improbabilia visa sunt, cuiusmodi lectu dignissima ex Raderi nostro in parte altera Viridarij cap. 3. & 4. petiisse iucundum fuerit, de quibus docet more suo abstrusè & verissimè Climacus: eos esse verè humiles, neque curare aut metuere hominum offensam, cum iam per orationem, virtutem eam consecuti sint, ut quæcumque fecerint, inuisibiliter omnes adificent, omnia turè faciant, omnibusque Deo cooperante satisfaciant. Tunc enim elucet illustrius quiddam, quod sic spectantium animos afficit, ut nullam in deterius opinationem admittant, quantumque à recepta ratione in agendo recessum fuerit, tantum putant occultioris sanctitatis venerationi addendum, atque id ipsum, (quod persæpè verum est) incitandæ tarditati lentitudinique nostræ, providere Deum existimat.

Ex ea autem Climaci doctrina id quoque discimus, non esse res eas alijs imitandas, quàm illis, qui eadem perfectione sint præditi: in quam etiam sententiam præclarus in Raderi locus existat, de quodam egregio senè, in diiudicandis variis animi motibus exercitatissimo; quia iuniorè, quem suum ad paradoxa quædam impetus agebat, interrogatus an eiusmodi delictorio obsequendum sibi esset, sic inter cetera respondit, *Veteres Patres hæc quædam absurda & paradoxa fecerunt, ut operum admirabilium, quæ supra vim naturæ efficiebant, gloriam velarent, & vitæ sanctissimæ, quam agebant, famam opprimerent, adeoque pro laude populari, sibi ignominiam conciliarent, & superbia causa & occasiones ad inferos amandarent. Te verò quid vrget, ut huiusmodi quid concipere? An ignoras, etiam religiose vitæ esse suos gradus, ætatem, ordinem & tempus? Tibi verò hæc singularis, & seiuncta viuendi ratio non fuit, nec est, neque fama nominis tui vlla est in hoc genere vitæ, sed perinde ac alij, vnus ex numero Religiosorum fratrum censis, proinde & tibi, si minùs rationi consona feceris,*

Grad. 25.

nocitum ibis, & alios offensum. Præterea hoc genus vite, non omnibus ex æquo conuenit, sed magnis duntaxat & perfectis Patribus, qui sensus corporis, & cupiditates mactauerunt; in omnibus uero, & in medio adhuc certamine desideriorum vincendorum versantibus, officium magis quam profunt: quapropter arta sensuum custodia, & disciplina indigent. Illi uero sancti & perfecti Patres, iam limites omnes humane imbecillitatis, & sensuum premeendorum curam euaserunt, & iis omnia quibus ad usum sanctum uti uolunt, seruiunt. Alij uero, rerum gerendarum imperiti negotiatores, in maximis causis magna sibi concinnant nocumenta; in leuioribus uero & facilioribus, ad perfectionem paulatim progrediuntur. Et rursum, ut dixi, omnibus rebus est suus quidam ordo, & institutio, processus & tempus, quod qui non obseruat, pro commodo, duplex sibi incommodum parit. Atque hæc præclare uerissimeque dicta sunt à Sene, cum ab eo quod in Sanctorum gestis absurdum, & à communi rectoque usu remotum est, imitando dehortaretur.

At uero qui rectius ea uoluerit intueri, & subtilius ex eis erudiri; animaduertet, quo animo, quales uiri, ad quas res aggrediendas, quam se intrepidè addixerint? & non raro in eis occultiora quædam & illustria admodum, variæ perfectionis documenta deprehendet; semper tamen humilitatis celsissimæ, qua superbia nostra contundatur, exuberantia mira sese efferet. Cum autem, nullius alterius uirtutis æquè simus indigi, quæ ad eam uirtutem conferunt exempla non mediocriter nobis prodesse censenda sunt: quare nequaquam ea respicienda, sed ut ab animo sanctitate turgido sunt profecta, ita uidentur nobis est, ut nihil in eis lateat quod non diligenter excutiamus, & ad nostram uilitatem conuertamus: si minus quod agitur conuenit, uideamus quid, quo animo, ubi, quando agatur, quo euentu, quo spectatorum commodo, & hæc ipsa si inter se comparabimus, mirum fuerit, si non ex eis plura in rem nostram deriuare possimus.

Verum præter hæc, non absimilia quædam sunt, quæ nihil quidem ab humanis moribus alienius præferunt, sua tamen arduitate communem imitandi usum excedere uidentur: in quorum numerum adscribi potest, D. Benedictus, & D. Franciscus, quando luxuriæ incentiuo inflammati, importunioris tentationis vim, ille quidem nudato, & per dumeta cruentato corpore, hic uero per sæuientem hiemem in plurimam niuem iniecto, repressere: quibus planè geminum (nisi fortè illa parte maius, quod non sua, sed alterius causa susceptum) Beati nostri Ignatii egregium illud facinus, quo se glaciali collo tenuis immerfit stagno, restinguendo, alterius illac transituri, impuro libidinis ardori. Quæ profecto ut suo genere ipsaque prima specie, honestatem quandam præferunt amabilitate & admirabilitate præclaram; ita nihil habent, quod moribus, quod rationi, quod vulgi approbationi repugnet, at in eo ipso quod probatissimum, & rationi est consonantissimum, quendam dignitatis gradum sortiuntur, uix ut ad tantam pusilli audeant sublimitatem respectare. Quod quidem de his dictum uelim, quæ sola uel asperitate, uel horrida specie naturæ sic aduersantur, ut sus-

perari sine certo vitæ periculo, at non sine singulari fortitudine & magnitudine animi possint: nam si in eis grauius periclitari, vel valetudo, vel vita videatur, tum verò in alia classe, de qua infra dicemus, reponenda sunt.

Ceterum in communi Religiosorum vita, nonnulla eorum qui ad perfectionem ardentius aspirant, non dissimilia, aut certè longius quidem ab absoluteione tanta, sed ex eiusdem initiis profecta, ac fortassis aliquando eò peruentura videas: cum scilicet victoria de seipis reportanda paulò appetentiores, ea vel agrediuntur, vel subeunt, quæ rationi quidem & instituto vitæ non repugnant, sed ab usurpata & moribus recepta moderatione, aliquantulùm exorbitant: quæ profectò eum à Superiore, cui subditi vires exploratæ sunt proficiscuntur, non possunt non esse summopere laudabilia. sic à S. Benedicto Maurum, à Florentio Ioannem Ketelium, à Petro Fabio Corn. Wishaucum, variè exercitos legitur: fuitque illustre eius factum qui sportas cariùs, omnesque separatim diuendendas Abbatis iussione circumferebat. sed quis posset, vel fingendo, illustriorem comminisci, quàm quæ obedientissimi sunt Ioannis, seu dum olei phialam vitream in cautes præcipitaret, seu dum immane saxum irritò sudore loco mouere tentaret, seu dum annum totum, adportata bis mille passibus quotidie qua, lignum putridum non constantius, quàm alacrius irrigaret? Sed & in fructibus, & naturam propemodum exutus ille Mutij animus, vnde suis addit laudibus, inde fermè sibi fidem adimeret, nisi certissima testificatione constaret, respectum aliquando fuisse parentem amantissimum, qui sordes filij, colaphos, lapas, & diuexationem plurimam, non semel, at sæpiùs diutiusque repetitam, rigidissima immotaque mente perferret, nec illius causa vel vulum vnquam contraheret, vel meroris vllò sensu tangeretur. At his profectò permittis, alia maiora fidem adstruunt, cum ille ipse, iussu Abbatis, correptum vlnis filium, in præterlabentem fluium proiectum ibat pater: sed hoc postremum aliò referendum erit.

Verum, quæ recensuimus, non sunt in vnum sine discrimine compingende: quæ enim de Mutio, deque obedientissimo Ioanne retuli, ad eam spectant secundum modi admirandorum partem, qua Sanctos dixi quædam facere virtute sibi propria, sed quæ cum nihil habeat quod probatæ & usurpatæ rationi aduerteretur, hoc solo mirabilis est quòd communem bonorum virorum captum supergreditur: nam tanta illa Mutij tamque perseverans, in tot filij diuexationibus apathia, laudabilis patientiæ metas transiit: illius verò Ioannis, in rebus arduis, parum probabilibus, tam cordatam, tam simplicem, & nihil discriminatem obedientiam; stupefacti omnes intuemur. Huius generis permulta in Beati Ignatio reperies; studia literarum sic ab eo profecta, sic elaborata Societas, in qua quoque confecta quàm plurima, & omnis totius vitæ decursus & finis.

Ad hunc rarissimæ virtutis gradum, sæpè quidem prima feruoris ardentissimæ incitatione, quam diligens exercitatio roborarit, peruenere Sancti; fieri eam potest.

Cass. lib. 4.
cap. 29. 24.
25. 26. 27.

potest vt sui accuratus obseruator, & indefessus instigator, eòdem paulatim diuina gratia opitulante pertingat: quod consequetur exercitiis, vel sponte, vel altero iniungente susceptis. Iniunctorum, in Ketelio, in Wishauco, ac in adnexo iuene exempla præstò sunt. sed & præcis illis monachis præbatissimis ea fuit prima cura, id institutum solenne, vt eis qui ad eiusdem Instituti professionem accessissent, de industria imperarent, quæ sensissent eorum animo quàm maxime esse contraria, donec eos experimentis variis adeò in omnem partem verfassent, vt iudicio omni deposito, id vellent, id scirent, id probarent vnicum quod eis imperatum fuisset. At verò id fuit singulare & permirum quod Climacus quodam in monasterio vsurpatum scribit, vt ad vsque 30. annos, conuiciis & iniuriis agitentur, vt sic quodammodo hominem exuerent. Quæ profectò præclara fuerunt ad omnem perfectionem adiumenta: quorum frequentatio cum sit in eorum potestate qui præfunt, non opus est vt pluribus agamus, quandoquidem neque prudentiam illis defuturam credimus, neque in eis vbi conuenit adhibendis diligentiam, memores dignitatis eius quam tribuit eis D. Basilus, quòd sint quasi quidam saluatores, qui salutem eorum qui sibi obediunt Deo sacrificant. sed & eos ad eam impellit sollicitudinem D. Benedictus asserens culpæ pastoris incumbere, quidquid minus vtilitatis haurietur ex grege: & quemadmodum crudelis esset ille pater, qui adolescenti & famelenti filio cibum, qui præstò esset, denegaret; sic non minùs durum asserit Climacus eum, qui obedientis & subditi animum desiderio perfectionis incensum, oriose torpere sinit, nec eum tentamentis variis, ad vberiores & præstantiores fructus excolit. quod profectò ignaui est animi, & de se de quæ aliis nimium demissè sentientis. Sanè quàm vigil & perpetuus suorum ad perfectiora instimulator fuerit B. Ignatius, & factis, & scriptis, testatum suo loco reperies.

At quoniam neque iubentur singula, & vnicuique suæ perfectionis cura incumbit, solent, vt dixi, qui ardentiore ad summa feruntur impetu, etiam sponte sua, id ipsum quod ad corporis cupiditates edomandas vtitatum est, minùs vtilitè vsurpare: qua in aggressionem si terò constanterque progrediuntur, ad maiorem quandam & Sanctorum propriam virtutem pertingunt. Ista verò communium rerum vsurpatio, à communi variè recedit, nempe si crebrior, si acrior, si alio loco, si modo qui plus doloris aut verecundiæ afferat: sic in ieiuniis, castigationibus corporis, lacernis induendis, fatenda culpa, humiliore, vt puta culinatio, exercitio obeundo, possunt hæ res, vel crebrius, vel acrius, vel tempore difficiliore, vel coram non domesticis, vel diuturnius, vel quasi contra voluntatem, & ex iniuncta ob grauem defectum pœna, vel aliis modis pluribus, quorum inuentor est ingeniosus, perfectionis amor, possunt, inquam, ita exerceri, vt in rebus vulgaribus virtus non vulgaris eluceat.

Sed in iis qui communem & cœnobiticam cum pluribus vitam ducunt, nonnulla tamen in eiusmodi vsu, vt laudabilior perseueret, videntur animad-

Cass. lib. 4.
cap. 8.
Vita SS. PP.
p. 3. c. 21.
c. 31.
Gradu 4.

Cap. 21.
constit. mon.

Gradu 4.

uertenda: imprimis vt ex radice veræ solidæque virtutis oriatur, comitemque humilitatem, & sui contemptum sibi semper adnectat. nonnullos enim reperimus eo ingenio præditos, vt quæcumque in partem se dederint, ament esse singulares, & excellere ceteros, in eoque quadam sui opinione se pascant: quæ profecto animi magnitudo, vt ad res præclarissimas utilis est, si ratione temperetur, ita paulatim fit iugi impatiens, omnique humanæ societatis ordinem, ambitione principatus appetitu, euertit, nec amplius frangi potest, cum à tempore illi rebus accesserit; est igitur à primis vitæ melioris initiis acriter comprimenda, & vbi aliqua ipsius fibræ apparuerint, sunt diligenter euellenda: fugiendus omnis, cuiuscunque gloriolæ appetitus, & quicumque ei magis obnoxius esse censebitur, ad humilitatem traducendus erit, conuiciis, probis, quæ licuerit, excendendus, & intra suos priuatos parietes ita continendus, vt pauciora potius eorum ceteris, quàm plura suscipiat. Sed & incipientibus cauendum, ne ad contemptum aliorum, qui eadem non præstant, sint proniores, sibi que de rerum eiusmodi narratione blandiantur: quidquid enim aliò quàm humilitatis fundamento erigitur, ruina præparatur. Est alia quo occultior & perniciosior proprii iudicii pestis, vt nisi subtilius caueris, videas id genus hominum pertinaces euadere, & suarum opinionum mirè amatores, qui sibi quidquid in mentem venerit, diuinitus afflatum, & quidquid in phantasia incidit, reuelationem putant, nolint sibi vlla in re contradici, verba sua, vt quædam sacra effata, velint inspicere, intolerandi æqualibus, superioribus inobedientes, molesti & graues omnibus. ita pro tritico paleam, pro virtute metunt vitia, quæ certè quo impotentiora sunt, tanto magis, certa & errori minùs patens via nobis est terenda; nulla autem certior & breuior, quàm quæ ducem sortitur obedientiam.

Atque ex his videmus explicatum secundum admirandorum modum, qui in eo est vt maiore quadam virtute impulsi Sancti, quædam agant vel paradoxa, quæ stuporem cum sensu virtutis ingenerant intuenti, vel communi rationi consonantia, sed sola quadam excelsitate mirabilia: horum autem vtrorumque vna radix est, virtus quæ illi Sancto propria est, digniorque & præter vulgarem eminens: ad quam etiam an, & quomodo aspirare possimus dictum est.

§. 6. De Tertio-admirandorum modo.

Tertius igitur & postremus admirandorum efficiendorum modus restat, quem existere diximus, ex vi & impetu naturæ, arduitate rerum concitata, & quidem non solius naturæ, quod Sanctorum non esset, sed naturæ virtute instructæ, & eius zelo inardescens: qui modus cum à nobis fuerit explanatus, omnem admirandorum exemplorum varietatem abundè putabo declaratam.

Atque vt id intellectu assequamur, plurimum faciet obseruare, miras quædam, eosque vehementes admodum, naturæ esse impetus, seu ad eius rei conseruationem quam summoperè diligit, seu ad fugam eius quam vehementer

exhorrescit. quod ipsum, vt ne à feris ipsis animantibus repetamus, quæ catulorum causa in tela, in arma ruunt, quotidiana nos docet experientia, eaque in subitis casibus lucet maximè, cum scilicet isto quis necessitatis articulo deprehenditur, quo vel amittenda res carior, vel graue aliquod periculum subeundum fuerit: tum enim præsentia & amore rei incitante, animumq; totum occupante, nihil non subitur vt id quod amamus nequaquam pereat; ac subinde, vt non solet impetus à consideratione regi, in grauius damnum inciditur, dum leuius cauetur; cuius postremi generis est, cum quis ne antrosum impingat exterritus, retrorsum corruens in præceps desertur. sunt & alia plurima, nam & sui quasi oblitum brachium, gladio caput ferituro se obicit, & in summo, iamque vndique inardescens tabulato deprehensus, inde se deiecit: & filium Cræsi legimus in eam diem mutum, viso patris periculo exclamasse; certisq; testibus accepimus, multos iam annos paralyticam, à gossantibus, equi furiosi accursu externatis, derelictam, naturæ nisu à periculo expresso, surrexisse, effugisse, & ex ea die morbo liberatam. tanta est vis in conatu quem naturæ summa pariat & extrema contentio.

Hæc autem cum ex alterius cuiuspiam rei vel summè amate desiderio, vel exosa fuga oritur, per se neque laudi cuiquam neque vituperationi fore censenda est, sed laudabilis aut vituperabilis reddi potest à causa vnde proficiscitur: hinc si quis virtutis conseruandæ gratia in atrociam ruat pericula, laudabitur; quod ipsum si scædæ voluptatis concupiscentia expresserit, vitio vertetur; si autem naturæ, aliquod graue malum refugientis, ita tulêrit impetus, nec laudi, nec vituperationi fuerit, quo circa qui de huiusmodi actionum, vel præstantia, vel peruersitate voluerit iudicare, is aduertat necesse est, qua causa, quo animo, quæue sunt voluntate perfectæ.

Et quicumque id accuratiùs obseruauerit, non agrè postremum hunc, ex quo admirandas Sanctorum actiones profectas dicimus, modum intelliget. Velim enim, vt primùm omnium cogitatione tua coneris ad viuum exprimere, mirabilem quendam & flagrantissimum, qui Sanctis inest, virtutis & Dei amorem, qui sic eos penitus occupet, vt præ illo neque se, neque ceterorum quidquam, vllò in pretio ducant: ac diuino honori, si qua in te velificari possent, id verò quouis dirissimo cruciatu, & vita ipsa profusa perfectum optant: iam verò à virtute, & diuina gratia excidendi; à summo & solo suo bono, Deo optimo, quem medullitus & tenerimè diligunt, se ipsos ab alienandi, vel tentatio, vel cogitatio pertenuis, sic eos concutit, vt id statim & vt summum malorum omnium immensè abhorreant, & præ istius tanti damni, vel formidine, vel periculo solo, in quiduis atrocissimum ament irruere. Ad hæc, istam eorum mentem, longa rerum diuinarum & æternarum tractatione, & suspirante desideratione, sic ab omnibus & quæ corporis, & quæ huius vitæ sunt abstractam videas, vt nihil horrificum nisi peccatum, nihil desiderabile præter virtutem &

Deum suum censeat, nec doleream, nec timor, nec mors, nec vita tangunt, vbi maximè vel de perfectionis, vel de Dei aut consecutione, aut amissione agitur: tum enim vires exerit, tum in toto corpore dominatur; tum sui solius & Dei memor, alia omnia, vt res nihili posthabet.

Hoc planè fonte, hac mentis excelitate, & quæ diximus, & quæ eiusmodi proferri possent, profluxere miranda; nec alio peculiari S. Spiritus instinctu opus fuisse ita credo & assero, vt pertinaciùs oblucentem nolim contentiosius vigere: sic autem in exemplis antè recensitis explano; Pone tibi ob oculos virgines eas, quæ summo virginitatis amore flagrantes, ad eum subito se articulum deuenisse videntur, in quo vel à nefariis hominibus opprimerentur, vel integritati suæ esset fuga consulendum; ergo protinus accipitrem columba fugiunt, animorum prædo insequitur, euolant illæ velociores, & virtus addebat vires. at ecce occurfu fluminis intercipitur stadium cursus, quid faciant his angustis deprehensæ? consultationi mora non datur, instat raptor impurus, vndarum obiectu iam quali potiundi certus in clamat. quid ergo sanctæ virginis instantem & vociferantem formidant, silentem minus timent fluium; in flammæ luxuriæ incendia perhorrescunt, vndarum refrigeria non refugiunt. itaque acriori ceditur timori, magis quæ exosum periculum cauetur magis, in fluium paribus aninis transilitur, ibique quam in terris consequi non potuerant, in vndis reperire satagunt castitatis securitatem. Quam rem totam si vt gesta est, diligentius introspexerimus, totum eius contextum & seriem à castitatis & Dei amore fluxisse fatebimur, nec alio vllò instinctu fuisse opus: quippe isto amore mens occupata, totque circumuallata periculis, vt quod respiceret non haberet, id solum sibi fugiendum, & credidit, & vidit, quod amori casto repugnaret: illi autem nihil aliud vidit repugnare, præter id vnum quod castitati, & in Deum fidei, intentari videbat periculum, cuius timore primum exterrita mens in illius depellendi cura sic tota absorpta est, vt ad nullum aliud, vel aquarum, vel mortis contuendum, aut aliquanti aestimandum, se ipsa conuerteret. Atque hinc clarescit, cur dixerimus, naturæ id esse virtute instructæ, & arduitate rerum concitata: etenim virtus, & non mediocris, infir necesse est, & plurimi fiat; tum verò emergat, vel grande illius pericula periculum, vel instans admodum & in re magni momenti, illius exercendæ articulus, quo fiat vt natura amoris vt incitata, & quodammodo ebulliens, vel ad ausus incredibiles, vel ad perumpendos insuperabiles obices, impetu quodam cæco præcipiti que rapitur: & quamuis oriatur inde quiddam quod legi & rationi aduersum prima fronte videatur, vt est, suæ sibi necis auctorem esse; id tamen vitio verti non potest, quia nec præuisum, nec præcogitatum est; ipsa autem incogitancia vsque ad eam reprehensione aliena est, vt etiam sit laudabilis, quando quidem & summus virtutis ardor eam peperit, & in subitis casibus, humanæ naturæ consencaneum est, vt non dispiciantur omnia, sed quodcumque melius primò occurrerit, id fiat,

ramdiuque teneatur, donec vel sedatione per otium mente, vel periculo remittente, sanius aliquod consilium inire possimus. Ira crediderim fortem illum Machabæorum Eleazarum, ad elephantis regij aspectum subito horruisse, tot suæ gentis & religionis vastationes ab impiissimo Rege profectas sibi obiecisse, in conspectu tyrannum esse, posse, si deiciatur, calamitatibus imponi finem: ergo cum suus abripit imperus, nec hostes confertissimos, nec inimica tela, nec casurum in se cogitat elephantem: Rex in oculis, in cogitatione victoria est, subit belluam, vulnere locum parat, nec se illius ruina opprimi, sed victorem triumphare gaudet. sic videas efferatos ira milites, in incendia, in præcipitia, in mortem propè certam tuere intrepidus, eaque omnia quasi nihili censere: nec enim in eo summo feruore animi, & rerum articulo, vel vacat, vel expedit, periculorum grauitatem expendere.

In hunc ordinem illæ quoque referti possunt, quæ irruentibus in monasterium barbaris, amputato sibi ipsis naso, virginitati consulere, sua deformitate decreuerunt: quanquam granditatem periculi, feritatem barbarorum, castitatis præstantiam, & minus necessarium id membrum, ipse mecum reputans, quin id etiam communi lege & ratione potuerint, negare vix auisim. At ea quæ ab Imperatore libidinoso ad stuprum accerlebatur Sophronia mulier coniugata, quæque, per simulationem sumendi comtus muliebris, expectare tantisper iussis internunciis, ipsa se, relicta sine arbitris, mediam ense transfixit: Pelagia item, nobilis illa, multisque sanctorum Patrum dilaudata virgo quæ venustiora sponsæ ornamenta induta, è summo se tecto, perductoresclusura, in præceptis hæ, inquam, & similes quamuis id ausæ quod in speciem sit magis inhumanum, mihi tamen nulla alia videntur fuisse ratione permotæ, quam quod crediderint virtuti vitam posse postponi, licereque sibi mortem, quam ab hoste post multa probrosa ludibria expectarent, vltro integritati seruandæ accerere: vel potius quod concitatissimo feruore naturæ, magnaque periculorum omnium despicientia, virtutis autem & castimonie summo amore, contrariorum verò odio acerrimo inflammata, ad primum castitatis contaminandæ discrimen, vique ad eod exarserunt, vt quæuis vitæ, quam despiciebant, pericula tunc illis iure meritissimo non tam oppetenda & appetenda viderentur, quam ne viderentur quidem, nec periculorum nomine, sed fugæ, sed liberationis conferentur, aliudque cogitarent nihil, quam quodd se seruarent intaminatas.

Quod sanè minus in eis mirum esse videbitur, quando in ipsis cæco modo obedientibus, vt in S. Mauro & Mutio, pericula idèd laudabiliter adita sunt, quia cogitatione in obsequij celeritatem abrepta, nequaquam præuisa sunt. Ex quo datur intelligi, & Mauri & Mutij, & simile obediendi exemplum ad hunc ordinem esse reuocandum: de quibus quia opportuniùs & latius alio loco, dante Deo differam, hinc plura non addam, sed ad priora reuertor, & quid in eis imitari debeamus attexo. quod priusquam dicerem, fuerat primum admi-

Less. lib. 2.
c. 9. d. 46. 6.

mirandorum origo declaranda: longè enim acius ad imitationem accendimus, cum ea quæ ab hominibus, virtutum omnium laude celeberrimis, facta miramur, intelligimus non esse, vel à ceteris, quadam privilegij lege fecerenda, vel peculiari sancti Spiritus impulsui tribuenda, verum abs indita, & ipsis propria virtute, non consueto, sed aciore mentis incitatu dimanasse.

Erit autem imitatio intra hos limites coercenda: vt diligenter prudenterque in hoc admirandorum genere, quid sit illud quod legi alicui repugnat oblectus, qualia recensuimus è sublimi se præcipitare, in fluvium excurrete, sibi ipse vel detruncatione, vel cade, violentas manus afferre: quæ cum illicita sint, prohibentem exuerit oportet, qui ad ea imitanda conetur. Ergo his ablegatis rebus inquirendum, quid sit id quo actiones, tam à ratione alienæ, tanto peius sunt effectæ laudabiles: certè non ex eo quod periculum, aut lex verans minus animaduersa fuerit (id enim nec in laude, nec in vituperio propriè reponendum) igitur ex alicuius præclarissimæ virtutis insigni amore id factum, à qua veluti radice is prognatus fructus, ea laus est deriuata, tantusque ex ea splendor honestatis elucet, vt quæ actio vitioso squallore deturpata iacuisset, nunc virtutis nitore illustrata laudetur, lucis que suæ radiis id totum quod subobscurum esse potuisset, clariùs emicet. ita videas virginum antè dictarum castitatem, præcipitationi sui ipsarum tantum luminis, decori & honesti contulisse, nemo vt factum illud totum viderit, vel auditu acceperit, quin statim in laudem admirandæ castitatis erumpat. Quare cum in eiusmodi gestis radicem, & veram boni laudisque causam repererimus, est nobis omni diligentia contendendum, vt tantæ virtutis formam ad nos quoque traducamus, eiusque perfectionem atque absolutionem penitissima mente imbibamus. De patrandis autem admirandis, ne quidem in cogitationem nobis veniat: hoc enim admirandorum genus, non ideo bonum quia mirum, cum potius malo sit propterea vicinum, sed bonum quia bono innixum est: quod bonum nobis est inquirendum. Non tamen diffiteor vero esse simile, futurum aliquando, vt qui eadem, cum virtute, tum animi magnitudine ornatus, isdem derepentè necessitatis angustius opprimeretur, ad eadem quoque fortiter & admirabiliter audenda confurgat. sed hæc diuinæ sapientiæ temporum moderatrici, & auxiliorum gratiæ dispensatissimè providentissimè sunt relinquenda.

Vnum etiam quod maximi momenti est, ex his discimus, Timorem videlicet omnem, tarditatem, lentitudinem, & nimis formidantem circumspeditionem in rebus quæ Dei sunt procul ablegare; fiducia vero à permagna, celeritate, alacritate, ad ea quæ Deo grata esse pie credimus, euolare: solet enim bene cedere, quod bona voluntate ceptum est, & qui semper intra modum latebit, quando vnquam ad magna pertingeret?

Vt tamen audaciam temeritatemque deuiter, in grandioribus ausis cauedum primo: vt ad ea non tam sponte, aut præfidentis mentis elatione te ingeras, quam

quàm ab ipsa rerum necessitate, Deo què quodammodo ducente inueharis: pericula quippe non sunt, vt depellantur, quærenda, sed depellenda quando irrunnt; in illo vituperatur temeritas, in hoc laudatur fortitudo. Secundò, nequam audacem esse conuenit, vbi peccandi subiretur occasio: est enim salus nostra cum timore curanda, & de audaculis illis meritò intelligitur illud Sapientis, *Qui amat periculum peribit in illo*. Tertio, ab omni ostentatione, iactantia, laudis humanæ appetitione, vel quouis alio fine minùs recto necesse est, esse quàm maximè alienum, & in vnum solum què Deum intendere: cum enim eius ope & subsidio, votorum tuorum consecutionem, in rebus arduis sperare debeas, quomodo eam tibi spondere poteris, si aliò aliquid respectabis: Quarto, ne facile in animum inducas, ea tibi aggredienda esse, quæ licet natura sua sunt optima, genus vitæ quod proferis tuum de decent, vel eius rationibus repugnant: communi enim lege fieri non potest, vt à Deo sint quæ sunt indecora, quæue proprias status illius, in quo tibi legitimè viuendū est, leges conuellunt. Quintò denique, si habes qui vel consilio, vel imperio te regant, ab eorum consilio & voluntate, ne vnquam ausurus maiora discesseris: iudicij nimium sui, mater est superbia, at superbiam excipit ruina. Sed hæc breuiter & quasi in transcurso monuisse sit satis: nunc ad alia transeamus, quæ vt faciliora, ita magis strictim dicentur.

CAPVT V.

Aliarum è Sanctorum gestis vtilitatum enumeratio.

Cum illa quam hîc quærimus vtilitas, tota sit in eo vt melius humana vita ex virtute traducatur, & ad æterna se conferat; regnum autem cælorum non verbis & præceptionibus, sed sanctis operibus acquiratur; eo nobis vtilior erit considerata vita Sanctorum, quòd rebus & euentis, confirmata bene viuendi exempla demonstrer, tantam què in eis varietatem proferat, nullum vt sit ingenium, naturæ què nulla tanta diuersitas, quæ non posset ex illis aliquam sibi consentaneam viuendi normam effingere. Et quidem celebris prima què fronte occurrit ea distinctio, Sanctorum nonnullos esse quorum ab ætate prima ad extremum vsque vitæ sanctitas intaminata resplenduit, qualem S. Ioannem Euangelistam, S. Ambrosium, Nicolaum, Bernardum, Ludouicum Gonzagam, alios què complures legimus; alios verò quorum initia vel euanida ambitione, vel etiam peccato grauiore fœdata sunt, sed ad meliorem frugem se recipientes, priorem errorem posteriore probitate correxerunt, quorum in numero sunt S. Maria Magdalena, D. Augustinus, B. Ignatius, alii què permulti; alios denique qui ex ipso, in quo semel steterant, iustitiæ fastigio ruentes, ad se tamen rediuerunt, fletibus què & dolore plurimo, ad eum vnde exciderant locum, multa contentione rediuerunt, quales S. Prophetam Danidem,

S. Petrum, S. Iacobum penitentem, aliosque non paucos accepimus: ex his igitur vel ad integritatis conseruationem, vel ad penitentia perfuentionem, vel ad maiores è lapsu sumendos animos, potest sibi quiuis imitandi paradigma proponere: non quidem, quod antè præmonui, vt id in toto vitæ genere obseruetur, sed vt iis potissimè, quibus opus fuerit, temporibus obueletur, tentationibus opponatur, cunctationes instiget.

Iam verò, quàm variis modis, viis & exercitationibus, ad eam vitæ absolutionem, & æternam gloriam venerint, quid non ab ipsis aut exantlatum sit aut perduratum si perpendimus, nullum reperimus vel afflictationum corporis, vel iacturæ fortunarum, vel exprobrationis famæ, vel mentis ærumnarum genus, quo non diuissimè atque diuissimè conflictati, virtutem suam rebus aduersis, non secùs atque fornace aurum, probatiorem fecerint. quare in quemcumque nodum explicatu difficiliorem incideris, illo ipso aliquem Sanctorum penitentium ab eo que solutū offendes, adeò vt eius vestigijs prudenter insilendo, non aliud possis quàm victoriam de hoste demone reportare.

Et quidem ita vniuersè loquor, quia singula persequari in finitum esset, volenti tamen, ardentè que cupienti, non erit difficile pro re nata obseruare, quid è singulis haurire boni possit, ad vitam, vitæ que partes omnes bene sancteque traducendam.

Sed maioris commendationis & auctoritatis causa à viro sanctissimo Gregorio Magno audiamus, quid hæc tractans loquatur: Quia carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in cælum oculos leuamus: & velut in cælum aciem intendimus, quando pressi vsu rerum corporalium, docere spiritalia conamur. Sed quia transire intellectus noster ad diuina non sinitur, nisi prius per Sanctorum præcedentium exempla formetur, quasi iam cælum nobis oculus suspicit, sed nubes videt: quia comprehendere ea quæ Dei sunt appetit, sed vix mirari ea quæ hominibus collata sunt potest. Vnde & aliàs dicitur, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Qui enim orientem solem contemplari non valet, irradiatos montes aspiciet, & quia solortus sit deprehendit. Et æternis ergo montibus nos Deus illuminat: quia per admiratam vitam Patrum præcedentium, radio suæ claritatis illustrat. Ecce in studio deuotionis Dominicæ & caritatis accendimur, sed in hac deuotione atque caritate, melius harum nubium contemplatione formamur. Quid enim deuotius Petro, quid carius Ioanne? ille per deuotionem fluida maris dorfa calcare non timuit, ille per amorem in ipso auctoris nostri pectore requieuit: & qui ad corporalis cænitæfectionem venerat, spirituale pabulum de sinu Redemptoris sumisit. Sed quia signati per nubes etiam prophetas diximus, necesse est vt adhuc ad medium superiorum Patrum exempla deducamus. Ecce cum præceptis celestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum Patrum vestigijs inuamur. Quid enim Abraham obedientius qui ad vnâ vocem Dominicam cognatos ac pa-

Lib. 17.

1. or. c. 5.

vel 6. & 7.

Psal. 57.

triam deserit: & pro adipiscenda aeterna hereditate, ipsum ferire non trepidat, quem senex iam & penè moriturus acceperat heredem? Cùm patientiæ virtutem apprehendere conamur, præcedentium exempla conspiciamus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur, & non loquitur; aræ superponitur, & non reluctatur? quid ergo isto viro dici patientius potest, qui quali ad solatium ducitur, & requirit; ad ferendum ligatur, & conticescit; & oblaturus holocaustum, interrogat; offerendus, tacet. Cùm accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentium informamur. Quid enim Iacob laboriosus, qui apud Laban tam longo tempore, propinquus iure cognationis, operæ exercuit seruitutis, & vice obsecutus est famuli, vt perfrueretur præmiis heredis? Cùm arcem continentia & castitatis ascendere nitimur, exemplis præcedentium subleuamur. Quid enim Ioseph castus, qui ad desiderium petulantis dominae, iugo luxuriæ premissi non potuit etiam captiuus? & quidem hominibus existit seruus, sed contra dominantem nequitiam, & in seruitio liber fuit. Cùm mansuetudine repleti concupiscimus, præcedentiū exemplis adiuuamur. Quid enim Moyses mansuetus, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem Dominum pro iisdem suis persecutoribus rogat, seque pro illis diuino furori obicit: quia in sancto eius pectore etiam ex persecutione caritas ignescit? Cùm contra aduersa mundi firmare mentem per constantiam nitimur, præcedentium consideratione fulciamur. Quid enim Iosue constantius, qui ad explorandam gentium qualitatem missus, nec proceritatis magnitudinē, nec numerositatis multitudinem expauit? vnde & easdem gentes quas explorando non timuit, etiam præliando prostrauit. Cùm benignitatis culmen apprehendere conamur, præcedentium exemplis instrumur. Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi populi deiectus, successorē sibi humiliter requirit, inuentumq; vngit in regem, vinctum tunc tolerat persecutorem? à quo ne moriatur trepidat, & tamen ne ei Dominus irascatur rogat. Ipse quippe cùm mitteretur ait, Audiet Saul, & interficiet me. Et ei per semetipsam Veritas dicit, Quousque tu luges Saulem, cùm ego abiecerim eum? quid ergo isto viro benignius dici potest, qui & hunc non vult diuinitus percuti, à quo formidat occidi? Cùm ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, præcedentium exemplis leuamur. Quid enim David misericordius, quid humiliter dici potest, qui à rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israeliticam gentem fortis eripuit; & tamen ipse ne moriatur, quasi debilis fugit? qui & se electum diuino iudicio, & persecutorem suum reprobum agnoscit, & tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subiicit: qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detrunca, atque ad cacumē montis protinus properat, & vno eodemq; tempore, quia occidendi potestate habuerit ostentat, & ne occidatur rogat. Quia ergo in cunctis qua spiritualiter appetimus, exemplis præcedentibus informamur, bene de

1. Reg. 8.
10. 12. 16.

*1ib. 24. c. 6.
1. 9. C.*

his nubibus dicitur, quæ prætexunt cuncta desuper. More enim nubium, exarsa super nos Patrum vita tegimur, ut ad fructum secundi germinis infundamur & quasi intuentes cælum, prius nubes adspicimus; quia ante bonorum facta admirando cernimus, & post illa quæ sunt cælestia experiendo penetramus. Et hæc quidem eo loci S. Pater, qui idem ea lobi verba pertractans: *Respicit homines, & dicit, Peccavi*, in eundem sensum hæc profert cōmemoratione dignissima:

Apo. 20.

Sanctorum, inquit, virorum exempla conspiciunt, qui in melioris vitæ versatū inuitis, atque eorū comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissimè intelligere appetit, qualis est; tales nimirū debet conspiciere, qualis non est: ut ex bonorum forma, metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissima bona adsunt, perpendit rectè quæ minus sunt: atque in illorum pulchritudine conspiciunt fœditatem suam, quam in semetipso, & potest perpeti, & sentire non potest. Lucem namque debet conspiciere, qui vult de tenebris iudicare, ut in illa videat quid de tenebris asstinet, per quas videre præpeditur. Peccator namque si incognita vita iustorum semetipsum conspiciunt, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorē lucis nesciens, cum semetipsum conspiciunt, quid aliud quam tenebras attendit? Iustorum ergo debemus vitam conspiciere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species, quasi quædam forma nobis imitanda proponitur: quia vita lectio est, vita bonorum. Vnde & non immerito iidem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptū est, *Libri aperti sunt*; &, *Alius liber apertus est, qui est vita*, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. Liber namque vitæ, est ipsa visio aduenientis iudicis, in quo quod scriptum est omne mandatū, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia, quidquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia iustorum tunc vita conspiciunt, in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum, legunt bonum, quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt, comparatione damnantur. Ne ergo vnusquisque tunc videns eos, quod non fecit desinat, nunc in iis quod imiteretur attendat. Quod quidem facere electi non cessant; meliorem namque vitam considerant, & deterioris huius conuersationē mutant. & mox: *Electi ergo, ut alle qui summa præualeant, conspecta odorifera & candida iustorum vita satiantur*. Iam quidem videre Dominum sicut iam de eius contemplatione satiari caritatis aestibus inardescunt: sed quia in hac vita positi, necdum valent, per præcedentium iustorum Patrum exempla pascuntur. Vnde & aptè illic tempus de ipso liliorū patib. definitur dum dicitur, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbre*; tam diu quippe refici iustorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis vmbra, æterno die aspirante transeamus. Cum enim huius temporalitatis vmbra, transecta hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam

nequaquam iam appetimus vt ad amorem eius per aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est, vt eorum qui illum perfectè secuti sunt conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quàm pulchra est agilitas sequentium, & videamus quàm turpis sit hebetudo pigrorum. Statim namque vt bene agentium gesta respicimus, nos metipsum confusione intima vlciscente iudicamus: mox verecundia mentè concutit, mox iustè saeuens rearus addicit, & vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter liber. Vnde per Ezechielem dicitur: Fili hominis, ostende domui Israel templum, vt confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Templum quippe Dei, filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando vniuscuiusq; iusti anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat, ad confusionem suam peccatoribus demonstrat: vt in illa bonum quod negligunt videant, & in se ipsis malum quod operantur erubescant. Metiri verò fabricam, est pensare subtiliter iustorum vitam. Sed dum metimur fabricam, necesse est vt ex cunctis quæ facimus erubescamus: quia bonorum vitam, quanto subtiliùs pensando discutimus, tanto seueriùs in nobis omnia iniquè gesta reprobamus. Bene autem Prophetæ dicitur, vt ostendat templum: quia enim iustorum rectitudinem considerare peccator dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare nolentibus, rectorum opera narrare: qui itaque sicut diximus, perducere ad summa desiderant, semper necesse est, vt meliorum profectibus intendant: quatenus tanto districtiùs in se culpas iudicent, quanto in illis altius quod admirentur vident. Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos quoque operatores iustitiæ tanta prouehi dispensatione videamus? alius namque donum scientiæ accipit, & tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non pertingit: alius magna abstinentiæ virtute accingitur, nec tamen in summa scientiæ cõtemplatione dilatur: alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura prænoscere, sed tamen per curationis gratiam non valet præsentis molestiæ mala subleuare: alius per curationis gratiam mala præsentis molestiæ subleuat, sed tamè quia prophetiæ spiritum non habet, quid sequatur ignorat: alius indigentibus multa iam propria largiri potest, sed tamen iniustè agentibus obuiare liberè non potest: alius iniustè agentibus audacter pro Deo obuiat, sed tamen indigentibus quæ habet tribuere omnia recusat: alius iam & ab otioso se sermone restringens linguæ lasciuiam superat, sed tamen adhuc surgentes iræ stimulos perfectè non calcit: alius in surgentem iram perfectè iam edomat, sed tamen adhuc linguam in latitiam relaxat. Quid est hoc, quod iste eo bono indiget, quo alius pollet, & ille cum multis polleat, abunde aliis bonum adesse considerat, quod sibi deesse suspirat? nisi quod mira nobis cum dispensatione agitur, vt per hoc quod alter habet, & iste non habet, vnus alteri melior ostendatur, quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat.

Cap. 3.

Cap. 40.

2. Cor. 15.

Epist. 2. c. 3.

ciat, quanto ex bonis quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat: sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine, ad curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Vnde Ezechiel Propheta cum volantia animalia descripsisset, adiunxit, Et audiui post me vocem alarum commotionis magna: Benedicta gloria Domini de loco sancto suo: & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. Quid namque alas animalium, nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? qui dum terrena despiciunt, ad celestia volando subleuantur. Vnde rectè etiã per Isaiam dicitur, Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ. Volantia itaque animalia, alis suis se vicissim feriunt, quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis inuicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim (sua me percutit qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit, & ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imiteretur ostendo. Sed quia Sanctorum vitam significari istis animalibus dicimus, libet in ipso volatu animalium, oculos mentis attollere, & quanta vicissim alarum percussione se excitent, subtili consideratione pensare. Paulus namque cum ceterorū Sanctorum sollicitudinem in prædicatione, robustius laborando transcenderet, vt ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutrirer, crudelitatem suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus ait, Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Et tamen eorundem omnium Apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur dicens, Sicut & carissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectū. Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam: ecce Apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi quod sancti viri dum virtutum consideratione vicissim sibi alios præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, vt eo ad volarum se altius excitent, quo humilius alter in altero quod admittitur videret? Hinc itaque colligendum est, quanta debemus sollicitudine, meliorum vitam conspiciere nos, qui in infimis iacemus, si & hi qui iam tanta sanctitate sublimes sunt, vt per humilitatis gressus ad maiora proficiant, adhuc quarunt in aliis quod imitantes admirentur. Sed hæc reprobis nesciunt, quia mentis oculos semper in infimis premunt, qui & si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenta semper deteriorum exempla vertuntur: neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponent, sed quibus superbiendo se præferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores se esse gloriantur, & idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi

suffi.

fufficere æstimant, quòd pèssimos antecedunt. O miseri, viam pergunt, & in terga respiciunt. — Recti videri appetunt, sed ad inueniendum se totam regulam sumunt. Si enim semetipfos quales sunt cognoscere appetunt, non deteriorum conspicerè, sed meliorum exempla debuerant. Hæc sanctus ille Pater, collaudandæ instruendæque Sanctorum imitationi aptissima: quæ licet paulò longiora videri possint, nec difficile fuisset id totum in pauca contrahere, vt nihil tamen decurrerem, sanctissimi Doctoris veneratio persuasit, nec tulit animus vt aliena & sancta, ambitiosa styli mutatione, quasi mea propinarem. Iniuste dicitur, qui alienis quasi suis segetibus demessis, quin etiam eas in suam aream tacitus comportat.

C A P V T VI.

Peculiaris quadam vtilitas obseruatur.

SIdiligerè quæ sit præclare factorum natura contemplamur, si qua radice soriantur, & qua circumspectione fiant inquirimus, perspectum rebusque ipsis contestatum euadet, nihil rectè sancteque fieri, quod non certa virtute nitatur, certa que rationis permotione generetur: nulla autem veræ virtutis, rectæque rationis est permotio, quæ non semper & recta sit & honesta, vnde fit vt nemini non possit esse optabilis, & seu imitatione, seu alio quouis modo acquisitu desiderabilis. Ex hoc autem illud etiam efficitur, vt cuius subtilius exempla Sanctorum indaganti, & quamplurima imitatione dignissima occurrant, & maximè ea omnia quæ à solidis virtutibus, rectæque sunt ratione prognata. Cuius generis cum sint res à B. P. Ignatio gestæ, dixerimque vnicuique eum esse maximè imitandum qui eius quam profiteretur vitæ institutor fuit, non nihil summatim dicam, vt quid in illo imiteris videas. Et quidem præter ea quæ superius dicta sunt, obserua quæ sequuntur.

Tres sunt scopuli quibus in hoc vitæ curriculo frequenter aliquorum impacta naus illiditur, quos qui cautiùs declinauerit, non parum feliciter profecturus esse censendus est. Prima igitur, & sanè grauis, multa que secum damna importans offensio est, si ad hoc emetiendum iter, benignè adspirantis Dei flatum non captas, vel in contrariam vela conuertens, voluntate tua te aliò impellis: cum enim nihil nobis contingere beatus possit, quàm à summa Dei sapientia atque bonitate regi, nihil etiam infelicius, extremoque malorum vicinius, quàm si nostro & cæcorum, & imbecilliorum ductu abripimur; quis non videt hunc sequendo, illud respuendo, præsentissimum tristissimi naufragij, hoc est æternæ damnationis, à nobis periculum incurri? Cum tamen si contra fecerimus, Deumque nobis, & navigationis nostræ auspiciem, & gubernatorem naus, & auræ vtrumque & quocunque libuerit, datorem & moderatorem elegerimus, planè

planè nulla sit, vel metuenda tempeſtas, vel aberratio formidanda. Vtrotū quidem id agnoſcimus & profitemur omnes, vixque adeò perficere frons reperiatur quiſquam, qui ſe Deo vocanti obſurdeſcere, palàm auſit edicere. At cupiditatibus euicta mens, ſic aliquando peccato immoritur, vt audiendi ſenſum iam deeſſe videatur: interdum verò & ſæpiùs, audit quidem ſed diſſimulanter, remiſſè, vixque tangitur, & aliorum deſectens, ac ſibi blandiens, conſue moras necit, donec vel Deo ingratum deſerente, vel deceptrice inſpirationum interpretatione ſuperante, malè concupitis inſenſcet, & nunquam ad quæ vocatur meliora conuertetur. Huius ergo, & grauiffimæ & periculoſiſſimæ temeritatis denitandæ atque corrigendæ, non ſolùm (quod in præſens omitto) rationes & vias docuit B. Ignatius: ſed etiam tota in eius vita, ſinguliſque conſiliis elucere vel maximè, quàm ſemper hoc primùm, & ſumma cura poneret, eſſe illud opus ex Dei aggrediendum voluntate, & ſuper ea re quàm attentè quàm in ſe loqueretur Dominus audiret: id verò quomodo conſequeretur, non vno loco expreſſum reperies, in Societatis hiſtoria, & ſuperiore libro dixi, vbi & docui, hinc quoque Religioſæ vitæ pendere perfectionem.

Alter eſt, & non infrequens error, vt, poſtquam vocantem Deum ſequi ſemel aliquis cœperit, non tamen conſentaneè ſequatur. quod variè fit, ſi remiſſè, ſi nimis ardentè & temerè, ſi turbulentè, ſi inconstanter, ſi à ſpiritu vocatiōis aliènè, ſi parum vtiliter & vbi non oportet laboratur: in quos & plures deſectus non inciditur, ſi certus & deſtinatus nobis finis, & probè cognitus eſt, & præ oculis ſemper eſt, & ardenti animo concupiſcitur: ſi quæcunq; vel agenda vel omitrenda occurrunt, ex comparatione ad finem illum diiudicantur, magnoque animo quæ ab illo fine auertunt, quantumuis prima ſpecie blandiantur, reſpuuntur; quæ verò ad illum conferunt, laborioſa licet & ardua, quaruntur tamen, & in iis inuicto animo perſeueratur. Hoc proſectò, ſi quidquam aliud, exemplo ſuo mirè ſanxit Ignatius, cuius à prima de ſtudiis deliberatione ad extremum vſque ſpiritum, vita tota, omniſque per ſingulas eius partes vel ſuſcipiendorum vel deponendorum conſiliorum ratio, vnus finis benè ſemel poſiti prudenti conſideratione quaſi filo vnico, aptiſſimè contexta deuoluitur. Incunda reſpuit, inſuauia amplectitur, noua inuenit, ſe in varias partes verſat, ſed in vnum ſemper ſcopum intuens: vt quidem vel orandi aſſiduitatem ſtudio literarum poſtponit, vel eblandientes de rebus cæleſtibus reſpuit ſenſus, vel Grammaticorum Dialecticorumque aculeis pungi ſuſtinet, vel chorum carumque à ſe abdicat, vt quid tam multa in ſua Societate ſeruanda & exercenda tam ſubtiliter vtiliterque commentus eſt, tam varias etiam laborum ſuſceptiones adinuenit, eaſque certa eſt ratione moderatus, niſi quòd vnum inuenerat finem, quo rite præfixo, ab illo omnis eius actio conſultatioque pendebat. Vt verò id conſequatis prudentia in primis & fortitudine opus eſt: etenim non præcipitandum eſt vnquã, ſed ſolertè indagandum, conueniat necne fini pro-

posito, id de quo est quaestio; tum verò fortissimè in iudicato persistendum. Hoc autem quanti momenti sit, nemo non videt: quare simul etiam videat necesse est, quantum ex hac B. viri bene perpensa vita vtilitatis reportare possit, quippe vix alterius cuiusquam tam sibi consonantem, prudenterque decurtam vitam, quæ literis ita commodè descripta sit, offendet.

Tertius, si tamen tertius, scopulus dici potest, & non potius proximè dicti pars, tertium nihilominus dicamus, quia seiunctè ponitur, deque illo pramovere, cum plurimi hinc impingant, omnino expedit. Est igitur hoc vitium cum ad id adspiramus, vel laborem in eo ponimus, quod à nobis nunc temporis minùs exigitur: & fermè vel curiositate, vel ambitione, vel simili quapiam cupiditate ad hoc prouehimur, atque interim iacent quæ magis propria sunt, & de quibus aliquando in extremo iudicio rationem exposcet Deus. ita mihi videas aliquos vel insanis ædificiis exstruendis, vel antiquariis rebus perscrutandis, vel etiam indignioribus occupatos magnates, fluctuantia reipub. gubernacula non attingere: alios videas Ecclesiæ Dei addictos viros, & Christi patrimonio diuites, nihil minùs quàm res Ecclesiæ tractare: ipsos quoque, quod dictu scèdum est, Religiosos, alienis multis implicari negotiis, conciliare matrimonia, lites contestari, sibi vel aliis honores exambire, amicorum cognatorum que res perinde vt proprias curare. Grauiora hæc & fermè patentiora sunt, atque vtinam tam cauerentur sedulò quàm grauiasunt, & apertè nocent: sed & leuiora sunt non pauca, ne cins frequentia in Religiosis maximè, vt alterius munus optare, iis occupari quæ parum cum officio commendato conueniant, vt putà si confessarius mathesi, chronologiæ, versificationi, antiquariæ, vt vocant, se tradat; si qui harum aut similibum rerum alicui excolendæ datus est, ea neglecta ad Theologiam, vel quæuis sacratiora se conferat; si quis labores, regiones, contemplationem, aut quietem, ad quam à Superiore non vocatur, sponte sua & indubitanter exoptat: minorum verò infinitus propè numerus est, quale fuerit, huius aut illius emendandæ rei zelo moueri, hunc aut illum reprehendere, facta iudicare, de quibus & eiusmodi omnibus, vel benè B. Pater iudicabat à nobis in die iudicij non exigendam esse rationem, vel timendum vehementer est, ne seuerissima ratio exigatur, quòd iis quæ ex officio erāt minùs diligēter & assidue curatis, tantum in iis quæ minùs ad nos spectabant, vana quadam naturæ cupiditate ducente, laboris & industriæ sit impensum. Et verò mirè id nos docet B. Pater perpetuus & indefessus id vnum agens quod ageret: suus illum ferebat impetus vt ageret multa, multa pateretur, at eum intra rationis gyrum rigidè coërcuit, totum se suæ Societati gubernandæ addixit; & quamuis ceteris nequaquam incuriosus & otiosus affederit, at tamen sicutotus in demandata Societatis gubernacula incubuit, nihil vt aggrederetur extrà, nisi illi factum fuisset satis. Quod profectò vnum si seruaretur diligentius, multò felicius in quam plurimis ageretur nobiscum; at nunc frequentissimè perturbatè, festinanter, & in spe-

ciem res tractamus maximas, dum huc illuc vel affectu, vel ostentatione duce-
 re, per quæuis minutula diuellimur, & agentes omnia, nihil agimus. Pudor il-
 laudatus, an tædium, an inuidia nos agit, quando multa audentes aggredimur,
 qui vix pauca benè possumus? quando in multiplices curas minore nostri cura
 diffluumus? quando alienam, occasione cupidè arrepta, industriam opprimere
 nitimur? Sed hæc exaggerare nostri non est instituti: id vnum addo, mirari ve-
 hementer me solere, quomodo possit quisquam alicui vni statui vel muneri ad-
 dictus, de alio, vel statu, vel munere, vel re quapiam esse sollicitus, eique ope-
 ram nauare suam, quandiu superest aliquid quo se suo in munere perficiat, il-
 ludque cumulatiùs præstare possit. Huic verò mirationi ea subest causa, quòd
 cuicumque qui rectè & ex ratione agere velit, at maximè Christiano, pro cetero
 habendum est, tum agi perperam quando potioribus minùs digna, vel præce-
 ptis voluntaria præferuntur, semper autem quæ status vel muneris nostri propria
 sunt, potioris & quasi præcepti locum præ ceteris habere extra controuersiam
 est. atque hinc est consequens, vt, cum dictorum factorumque ratio in diuino
 iudicio à nobis exigetur, primum, & potissimum, ac propè vnicum quod in de-
 crimè veniet, erit, an bellè omni ex parte personæ nostræ numeros compleueri-
 mus. Et verò quoruscumque tanta ingenij firmitate & præstantia præditus est,
 cui, cum rem vnã perfectè explendam susceperit, vel multum otij super sit ad
 alias, vel etiam desit quod in eadem perficiat? quæ si seriò perpenderit, cum
 vnde defultoriam istam ad varia transcurrendi leuitatem cohibeamus, & vel
 paucis vel vni rei studium adhibentes, libenter cetera missa faciamus.

Atque hæc de tribus istis dicta sufficiant: sin autem aliorum quæ vtilissima
 depromi possunt, enumerationem expetis, certè id vel solus postremi, quem
 Ribad. conscripsit de eius vita, libri index potest representare: quippe in eo om-
 nia propè sunt eiusmodi, vt vel maximè expeti debeant. cui enim quæso vel occa-
 sionis perfectio, vel affectuum tranquillatio, vel in agendo prudentia, vel for-
 titudo, modestia, caritas, ceteraque tot virtutes, non sunt ardentè expetendæ
 atqui ad eas ibidem cuncta referuntur.